SYNODUS PROUINCIALIS DIOECESIS VLTRAIECTINAE, CELEBRATA À...

Utrecht, Petrus Cutsemius, Roberto Bellarmino

+

ILLUSTRISSIMO, ET REverendissimo in Chro̅ Patri, ac Domino, Dn̅o Roberto Cardinali BELLARMINO, etc. Domino Patrono obseruãdissimo, humillimè dono offert Petrus Cutsemius.

SYNODVS PROVINCIALIS


DIOECESIS VLTRAIECTI-NAE, CELEBRATA

à

NOBILIBVS, ET POTENTIBVS DOminis Statibus eiusdem Prouinciæ, 24. Aug. Anno 1612. Vltraiecti:

EX IDIOMATE BELGICO IN Latinum versa, ac breuibus illustrata Notis

à R. D. P. CVTSEMIO.



HAGIOPOLI. ANNO 1614.

ADMODVM
REVERENDO, ET ILLV-
STRI DOMINO,

D. GEORGIO AB AVSTRIA,

APVD LOVANIENSES S. PETRI Præposito, & Vniuersitatis Cancellario, &c.
Salutem, & prosperitatem.

AEtate, admodum Reuerende, & perillustris Domine, senex es, & rerum plurimarum partim doctrinâ, partim vsu expertissimus, qui I. Lipsij, non gregarij Authoris, testimonio, *sermonem, & conuictum non solùm comitate condis, sed nectare quodam misces rerum veterum, aut obseruationum rariorum Multa*, inquit, *legisti, vidisti & præter historias, locorũ etiã situs, & ingenia nosse tibi cura fuit*, &c. Existimo tamen te, vt hoc dicã liberiùs, simile quid, qualis est hęc Dominorum Statuum Prouinciæ, ac Diœcesis Vltraiectinæ Synodus, nec legisse, nec vidisse, nec obseruasse vnquam. Sæpiùs quidem Hæretici, *Catholicorum Simiæ*, & antiquis, & modernis temporibus conciliabula concitauerunt, ac insti-

Epist. 93. in 1. cent. ad Belgas.

S. Cypr. epist. 13. ad Iubaianum.

ſtituerunt. Sed tamen in quibus potiores dicendi agendiq́; partes, ipſimet Prædicãtes, ipſorumq́; pſeudoeccleſiaſtici obtinuerunt, & adminiſtrarunt. In hoc verô Synodali conuenticulo docendi, paſcendiq́; munus totum ac integrum ſæculares DD. Status, Ciuilis nempe iſtius loci Magiſtratus, ſibi vſurpant, vendicant, arrogant. In quo Apoſtolico officio nullum prædicti DD. Status agnoſcunt, præter Deum ſummum, & altiſſimum, à quo, ſi perplexi dubijq́; vſpiam hæreant, immediatè illuminari debeant, ſe ſuperiorem: ita vt omnis circa fidem, vitam, moreſq́; controuerſia, quæ à Prædicantibus, alijſque ſuis moueri, aut ventilari poſsit, ipſis arbitris, imò competentibus judicibus abſolutè determinãda veniat. Vndè quid prædicandum; & quomodò, & quando, & quoties Sacramẽta adminiſtranda; qui dies feſti, & feriandi; quo tempore anni ieiunandum, &c. id omne ipſi ſuos docẽt Prædicantes, ſui ipſorum reuerà *verbi miniſtros*. Nihil dico ampliùs. Ex lectione patebunt cuilibet cætera. Ego ſtupeo, & obmuteſco. Si hoc nõ eſt orbem, & vniuerſam rerum naturã inuertere, judicet quiſquis

quis ratione pollet. Tibi verò admodum Reuerende, & perillustris Domine Præposite, eam Synodum, non approbandam, sed per otium, quasi animi gratiâ legendam transmitto, illiùsque simul NOTAS, ruditer à me interspersas, inscribo, ac dedico, abs te potius cēsendas, quā pretij vllius faciendas, vt nempe erga tot, tantaq; tua in me immeritum beneficia, quibus meæ ad Catholicam Romanam Ecclesiam conuersioni non modò, cùm cæli Angelis lætabundus, gratulari, sed & cum Deo ipso liberaliter opitulari voluisti, publicum aliquod memoriæ relinquā gratitudinis testimonium. Maiora enim illa sunt, & plura, quàm vt demereri vnquam ea sat possim. Defectum verò & tenuitatem hanc suppleat ditissimus bonorum omnium largitor Deus, Opt. Max. cuius benedictioni, & misericordiæ commendo te, Patrone tam humiliter quàm reuerenter mihi æternùm colende. Vale itaque diu, & fæliciter, GEORGI, non minùs erudita pietate, quam regio sanguine illustris. Dabam Coloniæ Vbiorum, pridie Id. Iunij, Anno senescentis mundi, 1613.

P. à Cudtsem.

BENEVOLO LECTORI.

CIRCA vmbilicum anni duodecimi ſupra milleſimum & ſexcenteſimum elapſi, commodè accepi ab Illuſtriſſimo, & Reuerendiſs. in Chriſto Patre, ac Domino, D. Antonio Vigiliarum Epiſcopo, Sedis Apoſtolicæ ad partes Rheni, & Germaniæ inferioris, cum poteſtate Legati à latere, Nuncio, &c. libellum, qui SYNODVM continebat PROVINCIALEM Diæceſis VLTRAIECTINÆ, paulò antè, menſe Auguſti, in eiuſdē Prouinciæ Metropoli celebratam, ex idiomate Belgico in latinum, priuato vſui vertendum. Ea r es vbi aliis, è meis fautorib & amicis innotuit, multum ab iis rogatus fui, ſibi vt eiuſdem Synodi acta, & decreta, ex iſto damnatæ lectionis libello, paucis referrem, cumq; aliis quoque myſteria illius, interpoſitis tamen breuibus Notis, communicarem. Quorum voluntati, atq; amicæ poſtulationi vt gratificando obſecundarem, inductus ſum partim illorum in me meritis, partim ſperato indè non mediocri boni publici commodo. Dicam igitur de omnibus non minùs fideliter, quàm breuiter de ſingulis.

DE LIBELLI TITVLO.

TItulus ille eſt: *Chriſtianæ Eccleſiarum ordinationes ciuitatis, oppidorum, & Diæceſis Vltraiectinæ, concluſæ Vltraiecti die* 24. *Aug. Anno* 1612. *& editæ à Nobilibus, ac Potentibus DD. Statibus eiuſdem Prouinciæ,* &c.

NOTA.

NOTA.

AVrea hæc ſunt in capite verba, quibus valere iuſsâ omni in Eccleſiis loci iſtius confuſione, Chriſtianæ promittuntur tandem earum ordinationes: ſed quæ in cauda manifeſtum continent venenum. Non enim poteſt eſſe ordo, niſi à Deo, & ab iis, quos ipſe ordinat, vtpotè ad ordinandum quid ab illo priùs ordinatos; & ſingulos quidem in ordine, & vocatione ſua. Vndè non poteſt non a principio Lectori nimis ſuſpectum eſſe, Chriſtianas Eccleſiarum ordinationes à ſæcularibus Statibus, ſiue ij nobiles, & potentes ſint, ſiue non, editas, & fabricatas dici.

Vtut ſit, collachrymandum certè Cathedralem Prouinciæ Vltraiectinæ Eccleſiam, adeò venerabilem, nobilem, antiquam, hoc vltimo ætatis noſtræ ſæculo, ita miſerè dirutam iacêre atque ſubuerſam, vt nihil niſi cum Diæceſis nomine nudam Epiſcopalium inſignium, abſque paſtorali baculo, & quibus pro mytra, nûc cancellata galea ſuperpoſita eſt, picturam, quam frontiſpicio libelli impreſſam videmus, retinuerit.

Primus qui eam erexit, inque illâ ſedit Epiſcopus, fuit S. *VVillebrordus*, commutato nomine *Clemens* Romæ à Sergio Pontifice Anno Chriſti 696. ordinatus, à S. Egberto, Cantuarieñſi Archiepiſcopo, paulò antè ſelectus, & miſſus vnà cum aliis vndecim monachis ex Anglia in Germaniam, ad annunciandum Barbaris Saxonibus, aliiſque populis vicinis verbum ſalutis, vulgò Friſonum, & VVeſtphalorum Apoſtolus: In cuius ſanctiſſimi viri laudes, multa egregiè dici poſſent, præſertim cum hoc Apoſtolatus ſui munus annis circiter quinquaginta, ad decrepitam vſque ſenectam, non minùs fructuosè, quàm laboriosè in illis partibus geſſerit. Defuncto illi ſuffectus fuit in recens erectâ, & conſtitutâ apud VViltenburgenſes (hodiè Vltraiectinos) Sede magnus ille Germaniæ Apoſtolus, & Martyr, S. Bonifacius (anteà VVinfridus appellatus) iam grandæuus, & valetudinarius ſenex, poſtquam ſedi Moguntinæ annis plus minùs triginta & ſex laudabiliter præfuiſſet: à quo deinceps ad Fridericum à Tautenberg, qui ſexageſimus ſecundus in ordine, electus A. C. 1561. Catholicus in ea ſedit Epiſcopus vltimus, primus verò, poſt nouarum aliquot Cathedrarum in Belgio erectionem, deſignatus eiuſdem ſedis Archiepiſcopus, con-

continua fuit per annos octingentos & amplius Vltraiectinorum Antistitum successio', quorum alij non solùm generoso sanguine ex præcipuis Nobilium, Baronum, Comitum, Ducumque familiis clari, sed & longè clariores suâ sanctitate & miraculis coruscauerunt, *S. Gregorius*, *S. Ricfridus*, *S. Fridericus*, *S. Alfridus*, *S. Radbodus*, *S. Baldericus* ex Cliuensium Principum stirpe oriundus, &c.

Hi, inquam, sanctissimi Præsules, per tot sæculorum centurias, eam salutaribus præceptis instituerunt rexeruntque Ecclesiam, ceremonias & leges illi præscripserunt, Synodos, & conuentus in ea conuocarunt; è quibus omnium primum illud, quod S. Villebrordus A. C. 697. pręsentibus in eo viris Sanctis Svviberto, Bonifacio, VVirone, Plechelmo, Othgero, Eualdis, aliisque, celebrauit concilium, satis illustre est.

At verò in hoc Synodali conuentu non vnus præsidet Episcopus, sed multi simul Status; homines non Ecclesiastici, sed laici; milites, non Sacerdotes; non in Theologorum scholis, sed in castris, & palęstra Martis ab ineunte ætate hactenus exercitati, proculdubio peritiores in tractandis armis, quam explicandis supernaturalis fidei mysteriis. Ques itaque in hac Syno-

do paſcunt & regunt ſuos Paſtores; diſcipuli ex cathedra docent in ſubſelliis magiſtros: Auditores concionantur Prædicantibus, & qui comitia ſolebant, nunc concilia celebrant: quod quid eſt aliud, quàm ſurſum deorſum vertere? miſcere cælum terra? & ſacra profanis?

Ne tamen hæc cæteris ex vniuerſo mũdo riſum pariant vel admirationem, rogatur in libelli præfatione Lector, ne ipſi videatur hoc inſolens, *quod Nobiles ac Potentes Domini Status huius Prouinciæ in hac Synodali congregatione ipſimet verba faciant, quia Magiſtratus officium eſt, more iſto condere leges Eccleſiaſticas.*

Verùm ſi iſti DD. Status ſcholas artiũ frequentaſſent, melius loquerentur, & cõtinerent ſe in terminis, dicendo, Magiſtratus Eccleſiaſtici Eccleſiaſticas, & Ciuilis ciuiles, diſtinctè, non confusè & indifferẽter. Hoc tamen moneti veniam mihi precor largiantur, cui non eſt propoſitum, niſi rem, miſſis perſonis, commemorando exponere, non refutando ad viuum reſecare.

✠✠✠✠✠
✠✠✠
✠

DE

DE SYNODI PROLOGO.

I.

PRincipio huius Synodi DD. Status benedicunt, & gratias agũt Omnipotẽti Deo, quod hanc Prouinciam vnà cum aliis vicinis, ab humanis traditionibus, idololatriis, superstitionibus, & abusibus, quibus contaminata fuit, tam clementer liberauerit.

Qui autem, & quales abusus isti, & maculæ fuerint, quæque superstitiones, ac idololatriæ, haud explicant. Sed benè scio esse homines, *qui dicunt malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.* quibus *væ* comminatur Propheta Esa. 5. vbi & hoc addit; *Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismet ipsis prudentes.* Qui autem & illi sint, ego simili silentio transeo.

II.

Deinde protestantur, & profitentur in forma obligationis, & iurisiurandi, se obstrictos ad nullam in hac Prouincia doctrinam, ceu fidei vitæque regulam, mensuram, & amussim amplectendam, & sequendam aliam, quàm solum Dei verbum, scriptis V. & N. Testamenti, nempe Prophetarum & Apostolorum expressum.

III.

Tertiò suã declarant seriã intentionẽ & sententiã esse, vt omnes Prædicantes, & verbi ministri iurisdictionis suæ teneant, ac seruent capita

Christianæ

Christianę Religionis Symbolo Apostolico cõprehensa, ac insuper libellum cui titulus. *Confessio fidei Belgicarum Ecclesiarum*, attẽdentes simul ad concordem confessionem aliarum Euangelicarum reformatarum Ecclesiarum, in vnam harmoniam Anno 1581. redactam.

IV.

Quartò iudicant nihilominus præfatam Confessionem Belgicam, aliorumque similes, examinabiles ad S. Scripturam, &c.

NOTA.

COhærent hæc sicut funiculi ex arena contexti: solam scripturam præscribere fidei, vitæque regulam semel, & posteà in eodem gradu illi adiungere traditiones non scriptas, Symbolum Apostolorum, & alia quædã humana opuscula, particulares nempe aliquorum confessiones, & harmonias,

Tum verò seria intentione ac voluntate ea pro fidei, vitæque norma aliis obtrudere, quæ ipsamet examinabilia sunt, & parùm certa, vel vera. Ecce duæ hîc concurrunt contradictiones, vna sub manifestis signis: Sola Scriptura, & non sola Scriptura, sed Symbolum quoque Apostolorũ, & Belgica fidei confessio pro verbo Dei ab omnibus Prædicantibus amplectenda sunt. Altera implicita seu *in adiecto* vt vocant: Belgica confessio fidei vnà cum symbolo Apostolorum præter scripturam se-

riò mandantur Prædicantibus tenenda, & sequenda: & eadem confessio examinabilis erit. Si non est certa, & indubitata, sed examinabilis, quomodò aliis præcipitur strictim tenenda? quomodo vim legis & præcepti habet? Certè si ipsamet examinabilis est, cum regulis consistere nullo loco potest.

Porrò si fundamentum illud in limine positum, bonum est & verum, quorsum precor tota hæc Synodus, cuius acta, & decreta in scriptis Prophetarum & Apostolorum nuspiam nec leguntur, nec sunt? cur non vnicâ lege, vel verbo DD. Status ministris suis præcipiunt vt sola Biblia sibi comparent, legantque, si aliud nihil fidem, vitamq; hominis regere ac moderare debeat, quã quod in iis inuenitur expressũ?

Verùm enimuerò ostendam ego ex ipsamet Sacra Scriptura, fundamentum hoc Synodi de non admittendo alio Dei verbo, ad salutem, animarumque instructionem, præterquam Apostolorũ, & Prophetarum manibus consignato, non modò Prophetarum, & Apostolorum libris non contineri, sed etiam eis manifestè repugnare. Nullibi enim in vniuersis Bibliis legitur, sed potius contrarium de nõ solo verbo scripto. Expressè enim habet textus Propheticus apud Malachiam

cap.

cap. 2. *Labia Sacerdotis custodient scientiam,* non dicit, sola Biblia, *& legem requirent ex ore eius,* non dicit, tantùm ex scriptis eius. Idem adhuc clarius exprimit Scriptura Apostolica 2. Thess. 2. *Fratres,* inquit S. Paulus, *state, & tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram,* non dicit, per solam epistolam. Et hinc quod valdè mirandum est, & simul notandum, centies plura in libris Vet. & No. Testamenti inueniuntur loca de custodiendo *verbo auditus,* quam de *verbo Scripturæ,* quoties Dei verbum fidelibus præcipitur seruandum.

Longè rectius, veriusque concilia orthodoxa Ecclesiæ primitiuæ, omnesq; illius doctores, Sancti Patres secuti fundamentũ, non in sola scripta littera hærebãt, sed vel in primis Ecclesiæ authoritate, & sacrosanctis Apostolorũ traditionibus nõ scriptis, sæculi sui confundebant hæreticos, vti disertè testatur B. Theodor. in lib. 1. histor. cap. 8. de antiquissimo, & œcumenico Concilio, Nicæno primo, quòd nempe Arium maximè ex doctrina non scripta damnauerit. Neque in hoc celebris Author iste fallitur, qui illi quàm proximè, vno scilicet sæculo pòst vixit. Sanctus enim Athanasius qui prædicto Concilio

præ-

præſens, tanquam magna pars eius, interfuit, de decretis Synodi Nicænæ, contra Euſeb. *Ecce,* inquit, *nos quidem ex Patribus ad Patres per manus traditam fuiſſe hanc ſententiam demonſtrauimus.* Et S. Hilarius, eius coœtaneus, lib. contra Conſtantium Imper. Ariano alicui obiicienti: *Nolo verba quæ non ſcripta ſunt legi,* reſpondens: *hoc tandem,* inquit, *rogo quis Epiſcopis iubeat?* Et, vt ſuperbo illi cornua decutiat: *dic prius,* inquit ſanctus Pater, *ſi rectè dici putas; nolo aduerſus noua venena nouas medicamentorum comparationes?* Vbi videmus hæreticos ſemper pro more habuiſſe petere à Catholicis probationes ex ſcripturis: Catholicos autem hæreticorum ora obſtruxiſſe traditionibus Apoſtolicis non ſcriptis, quas in ſcrinio pectoris ſui habet aſſeruatque Eccleſia. Et rectè quidem. Nunquam enim cum hæreticis de Scriptura, eiuſue ſenſu controuertendum aliter, quam ex traditione Eccleſiæ, Scriptura enim eſt Eccleſiæ Scriptura, ſicut & ipſæ traditiones Apoſtolicæ ſunt eiuſdem. Neque aliter loquiter Eccleſia deinceps, quàm ſcripſit ſemel, *columna & firmamentum veritatis,* 1. Tim. 3. Ideoque etiam Chriſtus iuſſit Eccleſiam, ſiue litteris, ſiue viuâ voce; ſiue epiſtola, ſiue ſermone docentem, audiri ſimpliciter, Matth. 18.

Idem

Idem porrò dici posset & probari de Synodo Nicæna II. quæ idcirco in fine Act. 7. *anathema* in illos detonuit, *qui non curauerint Traditionē Ecclesiæ siue scripto, siue consuetudine valentem,* &c. deq; innumeris alijs, quod suprà de Nicæna prima, quæ vna fuit ex quatuor œcumenicis primitiuę Ecclesiæ Concilijs, quæ S. Gregorius se venerari dixit, vt quatuor Euangelia: Et *quæ*, vt VVitakerus Caluinista loquitur, *summæ semper authoritatis fuerunt in Ecclesia Dei.* Sed proposui in paucis hisce effigiandis notis, nullos velle alios adhibere colores, quā ex myrothecio S. litterarū deprōptos, non aliter quā si cū Iudæis conferre oporteret ex solis Prophetarum oraculis; modò præter hoc irrefragabilis etiā apud Aduersarios Authoritatis prædictū Concilium, liceat hîc tantum loci, ad eliminādū Synodi huius fundamentum, vnum, atq; alterum ex SS. Patribus primæuæ puritatis assertoribus, flosculum appingere.

S. Irenæus lib. 3. c. 4. *Quid autē*, inquit, *si neq; Apostoli Scripturas quidē reliquissent nobis, nonne oportebat ordinē sequi traditionis, quam tradiderāt ijs, quibus cōmittebant Ecclesias? Cui ordinationi assentiunt multæ gentes barbarorū, eorū qui in Christum credunt; sine charactere, vel atramento scriptā habētes per spiritū in cordibus suis salutem, & veterem traditionem diligenter custodientes.*

S. Chry-

S. Chrysostomus in 2. Thess 2. Patet, *inquit*, quod non omnia per epistolam tradiderint Apostoli. sed multa sine litteris Eadem verò fide digna sunt tam ista, quam illa.

S. Basilius libro de Spiritu Sancto cap. 27. Dogmata, *inquit*, quæ in Ecclesia seruantur, ac prædicantur, partim ex conscripta doctrina habemus, partim ex Apostolorum traditione, in mysterio ad nos delata recipimus. Quę vtraque eandem ad pietatem vim habent, & nemo his contradicit, qui vel mediocrem saltem Ecclesiasticorum iurium experientiam habet.

Deniq; S. Augustinus lib. 5. contra Donatistas cap. 32. quæ *inquit*, vniuersa tenet Ecclesia, ab Apostolis præcepta bene traduntur, quanquã scripta non reperiuntur.

Ex quibus manifestum est, Vltraiectensem hanc DD. Statuum Synodum claudicare & impingere in limine, eamq; neq; cum SS. Patribus, neque cum antiquis primaua & orthodoxa Ecclesia Concilijs in fundamento congruere. De cæteris illi superstructis videbimus deinceps, quæ non multò solidiora esse possunt.

DE SYNODI PVNCTIS siue materijs.

Sequũtur capitalia puncta de quibus tractat Synodus, ſuntq́, numero quatuordecim, hoc ordine.

PRIMVM.

de
1. vocatione Prædicantium.
2. officio eorundem.
3. publicis precibus.
4. S. Baptiſmo.
5. S. Cæna.
6. Feriis, & feſtis.
7. Ieiuniis, & diebus rogationum.
8. Eccleſiaſtico cantu.
9. Senioribus.
10. Diaconis, ſiue Eleemoſynariis.
11. Eccleſiaſticis congregationibus.
12. Diſciplina Cleri.
13. Diſciplina plebis, ſeu populi.
14. Scholis, Ludimagiſtris, & cuſtodibus.

CAPI-

CAPITVLVM I.

DE VOCATIONE PRAE-dicantium.

I.

VT doctrina veritatis, quæ est secundum pietatem, iuxta regulam prædictam subditis nostris ad ædificationem proponatur, volumus in vocandis Prædicantibus, & Ecclesiæ ministris debitum seruari ordinē, ob quem nemini licebit verbi & Sacramentorum exercere ministerium, nisi modis infrà constitutis legitimè vocato.

II.

Sicubi in oppidis huius Prouinciæ Prędicāte aliquo opus erit, maturè significabit Senatus Ecclesiasticus hoc eius loci Magistratui, ac tūc quatuor ex parte Magistratus, & totidem ex parte Senatus Ecclesiastici committentur, qui de qualificato ministro circumspiciant, quem Magistratui loci & Senatui Ecclesiastico respectiuè præstabūt, vt ab iis acceptetur, vel reiiciatur: & en casu quo reprobabitur, eidē octo Commissarij simili progredientur modo in alio nominando, & præsentādo: casu verò quo acceptabitur ab vtraq; parte, tum prædictus nominatus & acceptatus nomine vtriusq; & Magistratus, & Senatus Ecclesiastici, vocabitur, & instituetur: in quibus tenebuntur omnes procedere bono cum scitu nostro, nostrorumue Ordinariorum deputatorum.

III.

In pagis verò, Tribuni plebis, ius patronatus habentes, vbi ſunt, aliàs Prætor, Iudiciales, & Seniores noſtris ordinariis deputatis eam neceſsitatem aperient, vrgebuntque Commiſſarios Synodi, vt de qualificata perſona ſibi prouideant, quam nobis, noſtriſque ordinariis deputatis primùm, & poſtea Tribunis, Iudiciariis, & Senioribus, imò omnibus omninò communicantibus, ac Auditoribus præſentêt acceptandam, vocandam, & inueſtiendam, modò, quo infrà.

IV.

Quod ſi qua difficultas, nauſea, vel controuerſia circa alicuius electionem, præſentationem, acceptationem & reiectionem oriatur, volumus vt cauſa ad noſtram noſtrorumùe deputatorum notitiam deueniat, ac componatur; cui deciſioni quiſque ſe ſubmittere tenebitur.

V.

Similiter Tribuni ius patronatus habentes, eoque vti volentes, tenebuntur Miniſtros hominibus ſuis præſentare, eorumque viduis prouidere de habitatione, neceſſariis alimentis, prout alij in pagis miniſtri à nobis haberi ſolent & tractari: & in hunc finem Tribunis concedentur ea omnia bona, quæ olim maiores noſtri pro paſtoratibus iſtorum locorum fundauerunt.

VI.

Sicuti Apoſtolus prohibet aliis citò imponere manus, ne quis peccatis communicet

alienis,

alienis, omnes qui ad prçscriptum munus prçdicantium vocabuntur, primò omnium probabuntur, & posteà ministrabunt, si nempe in probatione consistant, repertique fuerint esse irreprehensibiles.

VII.

Hæc probatio, siue examen fiet in Ciuitate, & oppidis, à Deputatis Synodi, sub præsidio aliquorum deputatorum ex collegio nostro, & Magistratus ciuitatis, vel oppidorum, vbi poterit contingere: ac quantum ad pagos, instituetur illud in ciuitate Vltraïectina, vel vbi id nos nostriue ordinarij deputati expedire iudicabunt, semper sub præsidio aliquorum à nobis specialiter eò ablegandorum.

VIII.

Qui hactenus nunquam ministerio functus fuerit, ei pro vice prima, in præsentia nostra, nostrorumue deputatorum semel, bis, terue textus aliqui S. Scripturæ, forma prædicationis alicuius, proponentur explicandi, ad experiendum quæ, & qualia dona consecutus sit verbum Domini rectè secandi, & doctrinam salutis cætui proponendi.

IX.

Hoc verò modo probatus, idoneusque inuentus examinabitur vlterius in doctrina.

DE
- Deo, Deique essentia, & attributis.
- S. Scriptura, eiusque perfectione, perspicuitate, authoritate, & certitudine.
- Mundi creatione, & gubernatione.

DE {
Peccato, eiusque origine, ac efficacia.
Lege, & Euangelio, nec non vtriusque discrimine, ac vsu.
Iesu Christi persona, officio, & beneficiis.
Fide, & Pænitentia.
Iustificatione peccatoris coram Deo.
Obedientia fidei, charitate, & bonis operibus, simulq; eorundem meritis.
Ecclesia.
Officiis, & ministerio à Christo in eadem instituto.
Administratione S. Euangelij.
S. Baptismo.
S. Cæna.

De hisce punctis interrogabitur, vt constet, quid de iis sentiat, vrgebiturq;, vt sentẽtias suas de singulis, claris S.Scripturæ textibus probet, & confirmet.

X.

Et quandoquidem veritas de suprà dictis punctis, hoc sæculo variè oppugnatur, proponentur eidem præcipua quæque de iisdem dubia, & Aduersariorum obiectiones, ex verbo Dei soluendæ, &c.

XI.

In aliis quoque materiis, hic non expressis, ad maiorem elucidationem intellectus, licebit illius explorare profectum, &c.

XII.

Dehinc eius etiam vita quam egit, considerabitur, vt sciatur, an secundum regulam Apostoli vigilans sit, sobrius, & modestus, an œconomus, familiam suam bene regat, & fideles habeat liberos, &c Sic

XIII.

Sic comparatus, suo nomine, & cognomine, in ea quisque Ecclesia, cui inseruiet, coram populo quadam Dominica proclamabitur, vt si quis habeat, quòd obiiciat, quò minùs Ecclesiæ ministerio fungatur, id, intra quatuordecim dierum spacium, Senatui Ecclesiastico, sub inspectione ciuitatis, & oppidorum, vel Commissariorum Synodi, respectu pagorum, indicet.

XIV.

Quod si nihil contrà in personæ, vitæq; dedecus, ab aliis afferatur, statim Ecclesiæ suæ, iuxta editum formulare, cum impositione manuum incorporabitur.

XV.

Vt fructuosius reddatur & fiat in pagis Prædicantium ministerium, dabuntur iis à nobis, nostrisue ordinariis Deputatis Acta (siue agēda) in debita forma, quibus Prætor, cæteriq; de iustitia, Aediles, custodes, alijque incolæ monebuntur ad debitam Prædicanti suo exhibendam reuerentiam, & vt illi singuli pro qualitate officij sui diligenter assistāt; quę acta à Secretario, siue Aedituo, post lectionem formularis incorporationis, cętui prælegi debēt.

XVI.

Factâ iam incorporatione adducetur (nouellus Prædicans) ad congregationem Senatus Ecclesiastici, vel si in pago vocatus fuerit, ad congregationem Commissariorum Synodi, vt ibidem cæteris Symmistis, & conpræ-

dicantibus det,& vicissim ab eis recipiat dexteram Societatis cum stipulatione, quod Ecclesiasticas has ordinationes pro viribus tuebitur,& ab hac hora omnes sui ministerij partes inchoabit,& prosequetur.

XVII.

Præsentabitur etiam recens assumptus iste Prædicans primâ quaque occasione duobus, pluribusue Deputatis Senatus Ecclesiastici, vel Synodi,in congregatione Magistratus respectiuè locorum,vel Collegij ordinariorum nostrorum deputatorum,vt ibidem subsequẽs præstet iusiurandum.

N. Ego promitto, & iuro primò, quod in ministerio ad quod sum vocatus, Domino Iesu Christo,secundum eam quam mihi largiturus est,gratiam,fideliter inseruiam; quodq; in omnibus meis prædicationibus, ac doctrinis,ad scripta Prophetarum, & Apostolorum attendam, ea sibi conformiter interpretaturus, iuxta conscientiam & meliorem sciẽtiam meam,ad honorem Dei, & quàm maximam Ecclesiæ ædificationem, absque hoc, quod eâ sanctâ doctrinâ ad carnales passiones meas,& priuatos affectus vnquam abutar; facturus insuper omne id, quod fidelem animarum pastorem,& Ecclesiæ ministrum deceat.

Secundò,quod meis DD. Statibus Prouinciæ Vltraiectensis, & huius quoque loci Magistratui fidus ero;eorumque,ac Prouinciæ, & Ciuitatis, seu loci huius honorem, & commodum,pro viribus, & vocatione mea quæram,& promouebo,populum in cõcordi vni-
one

one ac pace ſub regimine ſuæ Amplit. continebo, non ſolùm non auxiliaturus, conſilioue cooperaturus vlli rei, quę his contrà repugnare poſsit, ſed etiam eandem oppugnaturus, & impediturus monitis, & pœnis, quàm citò illius quicquam ad meam peruenerit notitiã, imò etiam ſi ſic neceſſe erit tempeſtiuè delaturus eiuſmodi ad Magiſtratum loci, à quo manus, & remedium contrà adhiberi poſsit.

Inſuper quoad ſeruitium ſuæ Amplit. & meę Eccleſiæ, in vocatione mea manebo, ac perſeuerabo tempore tam aduerſo, quàm proſpero, pacis, belli, peſtis, vel aliâs, non diſceſſurus niſi cum præuio conſenſu, & legitimâ oneris depoſitione.

Poſtremò quod me Politię, & legibus huius Prouinciæ, & ciuitatis, ſeu loci ſubijciam, aliiſque obedientiæ bonum præbebo exemplũ, quantum fert ratio miniſterij mei, nempe ne vel in minimo quidem infringam libertatem, quæ mihi competit, & qua vti debeo in prædicando Dei verbum, tangendo defectus, & corripiendo peccata, ſicut Dominus Deus vult, ac præcipit; promittens ſic me Magiſtratui, & Eccleſiæ meæ deſeruiturum, ne hoc impediar dare Deo, quæ ipſi debeo in vocatione mea, ſecundum ſanctum eius verbum. Sic me Deus adiuuet per ſuam gratiam.

XVIII.

Quo præſtito iuramento prædicti Eccleſiæ Miniſtri pro ſe, ſuiſq; liberis, ac poſteris pro * ciuibus cenſebũtur iſtius oppidi, in quo habitant,

Cur non etiam pro iust. ii. y.

qui in pagis prædicant?. tant; omnibusque eius municipijs, iuribus, & priuilegiis fruentur.

XIX.

Gerent etiam Magistratus curam honestè & competenter alendi suos Prædicantes, eorumque viduas,&c.

XX.

Hæc præscripta examinis,probationis,atque incorporationis forma seruabitur solùm, respectu Nouitiorum Prædicantium. Veterani verò recipientur secundum quod populo placebunt prædicationibus suis,ita tamen vt ea quæ de publica ipsorum in Ecclesia proclamatione supra §. 13. deque Magistratus consensu, seu acceptatione ipsorum §. 3. dicta fuerunt, in iis quoque locum habere debeant & obseruari.

XXI.

Postremò nullus ad ministerium vocabitur natus infrà annos viginti quinque expletos, nisi graui vrgente necessitate, & cum dispensatione nostra vnà cum consensu Commissariorum Synodi.

NOTA.

HAec sunt Capituli istius puncta; omnia quidem contra Synodi fundamétum, nimirum extra Scripturam, seu verbum Dei scriptis Prophetarum & Apostolorũ expressum, ad DD. Statuum libitum, ac beneplacitum conficta: in quibus si nihil intererit Dauusne loquatur herusue, si cuilibet quidlibet licebit &dicere,&facere, nõ omnia scupulosè noto, aut reprehẽdo.

At

At verò non eſt iſte ordo Dei, neq; domus ſuę, vt in ea ſæculares Status, *& Principes Gentium dominentur*, Matt. 20. Sed *ſeruus fidelis, & prudens, quem constituit Dominus ſuper familiam ſuam* Matth. 24.

Quando enim Dominus Deus ordinem Eccleſiaſticũ à principio conſtituit, diſtinxit eum quoq; quam longiſsimis paraſangis à politia ciuili, ſicuti ipſa ratio, imò natura id poſtulare videtur, ne cælum terrâ, terra cælo permiſceatur; Templum cũ prætorio, prętoriũ cum templo confundatur. Quã vtriuſq; ordinis, ac regiminis diuerſitatẽ Chriſtus in nouo quoq; Teſtamento interpolauit, ac ſtabiliuit, loco, quo ſuprà Matt. 20. & Luc. 22. vbi his verbis ſuos Apoſtolos à Principibus Gentiũ diſtinguens: *Vos autem* inquit, *non ſic*, & ipſemet interrogatus à Pilato de Regno ſuo, quod S. Sancta ipſius Eccleſia eſt, reſpondit: *Regnum meum non eſt de hoc mundo*, Ioan. 18. Vt indicaret diuerſum eſſe, & toto genere diſtinctũ ab eo, quod teneret, vel adminiſtraret Pilatus.

In hoc autem Eccleſiæ Regno ſuo hactenus, *ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores*: & dabit quoque deinceps *ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterij*, &c. Epheſ. 4. *Ecce* inquit, *ego mitto vos*, Matth. 10.

Et

Et S. Paulus; *Misit me Christus*; ait, 1 Cor. 1. Non Tiberius, non Nero, nõ sæcularis aliquis dominus. Post Christum verò Apostoli similiter elegerunt Matthiam in coapostolum. Act. 1. Apostoli conuocauerunt multitudinem discipulorum, è quibus constituerunt Diaconos. Act. 6. Apostoli miserunt *Antiochiam cum Paulo, & Barnaba, Iudam cognomine Barsabam, & Silam, viros primos in fratribus* Act. 15. Sic Apostolus Paulus, *Misi*, inquit, *ad vos* (Corinthios) *Timotheum, qui est filius meus charissimus, & fidelis in Domino, qui vos commonefaciet vias meas*, 1. Cor. 4. Item *misimus cum Tito, qui voluntate sua*, .i. libenter *ad vos profectus est, fratrem, cuius laus est in Euangelio.* 2. Cor. 8. Sic idem S. Paulus ad Philippenses misit *Epaphroditum, fratrem, & cooperatorem.* Philip. 2. ad Thessalonicenses *Timotheum fratrem nostrum, & ministrum Dei in Euangelio Christi*, 1. Thess. 3. ad Ephesios *Tychicum, fidelem ministrum in Domino.* Eph. 6. Ad Collossenses eundem. Coll. 4.

De sæcularibus verò viris, quantumuis fidelibus, quantumuis in regimine, & eminentia positis, quod sacros ministros vel miserint, vel vocauerint, aut instituerint, aut quouis modo potestate suâ ordinauerint, in vniuersa scriptura ne iota legitur, vel apex.

Et hæc diuersa vtriusque tum Ecclesiastici tum ciuilis status potestas in eligendis aut constituendis ordinis sui ministris non modo in iure naturali & positiuo; diuino & humano fun-

no fundata est, sed etiam perpetua consuetudine fuit vbique obseruata. Nihil equidem distinctiùs dici potest eo, quod legimus in Scriptura Prophetica V. Testam. *Amarias autem Sacerdos & Pontifex vester in his, quæ ad Deum pertinent, præsidebit: porrò Zabadias filius Ismaël, qui est dux in domo Iuda, super ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent.* 2. Par. 19. Item, eo, quod sententia dicit Apostolica N. Test. *Spiritus S. posuit Episcopos* (non sæculares status) *regere Ecclesiam Dei.* Act. 20.

Verùm DD. Status dulci quadam fortuna ebrij, sicut hactenus Regi Philippo ensem, & sceptrum è manibus eripere conati sunt, pari ratione, & iure confidunt posse se Apostolo Petro pedum extorquere pastorale, suisq; capitibus imponere modò coronam, modò mytram; altero pede in subselliis Curiæ, altero in suggestu Ecclesiæ consistere. Quid amplius restat, quàm vt nunc cum Gigantibus cælum obsidione cingant, & Deum ipsum ex solio maiestatis suæ deiiciant. Potestatem enim omnem de terris deuorauerunt.

Sed Phrygum instar serò sapient, & experientur, sicuti ea tria; Ioui fulmen, Herculi clauam, ac Homero versum surripere, gentilis antiquitas olim credidit impossibilia, sic suam Theomachiam, sacrilegam Hierarchiæ inuasionem; ac funestam contra legitimam potestatem rebellionem sibi fore tandem aliquando quàm maximè exitiosam, ni resipiscant. Certè caueant extremum audire increpantis

vocem

vocem illam Dei: *Quis quæsiuit hæc de manibus vestris, vt ambularetis in atriis meis?* Esa. 1. vel etiam percutientis eiusdem sentire manum, exemplo Ozæ, qui, quòd non Sacerdos ausus fuisset extendere manum ad arcam Dei, à Domino morte plexus subitò concidit. 2. Reg. 6. & 1. Paral. 13.

CAPVT II.

DE OFFICIO MINISTRORVM verbi.

I.

Ministrorum officium consistit in administratione verbi & Sacramentorum, tum etiam visitatione, ac consolatione infirmorũ; ac denique vt gregem Domini prouidè pascẽtes, de necessariis ipsi ad salutem vbique prouideant.

II.

In prædicando, & docendo annitentur ministri populo proponere textus S. Scripturæ, tempori maximè congruos, ad corrigendum mores, & vitam hominum.

III.

Pariter diligentiam adhibebunt fundamẽta fidei locandi verbis, & loquendi modis, in scriptura vsitatis.

IV.

Et quia variæ hodie incidunt disputationes, & perturbationes de diuersis explicationibus que-

quorundam locorum scripturæ, loquentium de æterna Dei prædestinatione, aliisque nonnullis illi annexis: nos prouidendo, ne Prædicantes huius nostræ Prouinciæ ob eas in discrimen aliquod adducantur, vnde discordiæ in Ecclesiis pullulare possint; consultum, bonumque æstimauimus, vt hac in parte bene à singulis cõsideretur, quod monet S. Apostolus; *Sapere ad mensuram, & non plus quàm oportet:* iuxta quod, quantum ad hanc spectat materiam, ea sic tractabitur, ne cuipiam ansa detur iustè cogitandi, quasi in Ecclesiis nostris tradatur eiusmodi quicquam, ex quo sequi posset, Deum quemquam ad condemnationem creauisse; vel ad peccandum cogere; vel ad salutem vocare, cui, eam absolutè decreuerit non dare; vel quicquam facere, quod iniustitiæ speciem habeat, &c.

V.

Et quamquam Doctoribus Theologiæ licitum est de eiusmodi punctis in scholis, & alibi in congregationibus suis amicè conferendi, & veritatem pacificè inuestigandi, nolumus tamen, vt eiusmodi disputationes in suggestum afferantur, sicut & nõ volumus quenquam eorum, qui loquendo de prædestinatione, in hisce consistunt sententiis; *Deum ab æterno secundum suum beneplacitum, fundatum in Christo Iesu, ad æternam salutem elegisse, ac prædestinasse, omnes & singulos illos, qui ex immerita ipsius gratia in eundem Dominum nostrum Iesum Christum essent credituri, &*

in

in eadem fide, ad finem vſque perſeueraturi: Et *contrà: ad damnationem deſtinaſſe, & reprobaſſe omnes & ſingulos eos, qui gratiam ipſius ſpreturi eſſent, ſeſeq; ea indignos reddituri, non credituri, & in ea incredulitate finaliter perſeueraturi*; ob id moleſtari, vel arctiùs premi, ac grauari: vtile etiam cenſentes, ne hæc materia coram populo ſublimiùs exerceatur.

VI.

In locis, vbi diebus Dominicis conſueuit prædicari tempore pomeridiano Catechiſmus Heidelbergenſis, ea conſuetudo ſeruari debet; ita tamen, vt adultioribus textus aliquis Biblicus, quæſtionibus pro tempore congruus, prælegatur, & explicetur.

VII.

In pagis manè diebus iiſdem exponetur Dominicale Euangelium, vel epiſtola; & tempore pomeridiano articuli Chriſtianæ fidei, ſymbolo Apoſtolorum comprehenſi.

VIII.

Prædicantes, alijque miniſtri tenebuntur inuiſere ægrotos, eoſque permouere ad ſeriã pœnitentiam de peccatis ſuis.

IX.

Et vt hæc infirmorum viſitatio legitimè fiat, vicini, vel proximi eorum amici, Eccleſiæ miniſtrum maturè compellabunt.

X.

Denique oues ſuas omnes ſæpe & frequenter Prædicantes viſitabunt, iiſque ad amplianđũ, propagandũq; Regnum Chriſti, amicabiliter obuiabunt.

NOTA.

HAec de officio Ministrorum, in quibus multa piè & salubriter à DD. Statibus dicuntur, quæ scilicet ipsi olim à Prædicatoribus, vel parentibus suis didicerunt Catholicis, eaq́ue nunc suos Prædicantes, quos ad sua desideria sibi coaceruauerunt Magistros, prurientes auribus, sapienter docent. Solùm monendus est Lector, in paragraphis quarto, & quinto, Gummarianos omnesq́ue Caluinistas veteranos in hac Synodo causa cadere; ipsosq́; DD. Status in articulo prædestinationis pro Arminio, cuius de hoc saltem sententia Catholicorum doctrinam propiùs accedit, contra proscriptum & desperatū Caluinum concludere, ac definire. Caluinus enim, cùm cætero grege suo, docet: Deum aliquos ad æternam damnationem creasse, idq́ue ex nulla alia causa, quam quod sic ipsi placuit eos æterno exitio deuouêre. *Non enim*, inquit, *pari conditione creantur omnes, sed alijs vita æterna, aliis damnatio æterna præordinatur: Itaque prout in alterutrum finem quisq; conditus est, ita vel ad vitam, vel ad mortem prædestinatum dicimus.* lib. 3. Institutionum cap. 21. §. 5. Et paulò post: *di-*

cimus æterno & immutabili consilio Deum semel constituisse quos olim assumere vellet in salutem, quos rursum exitio deuouêre. §. 7. Itẽ cap. 22. §. 3. *Si non possumus,* inquit, *rationem assignare, cur suos misericordia dignetur, nisi quoniam illi ita placet, neque etiam in aliis reprobandis aliud habebimus, quàm eius voluntatem.* Et cap. 23. §. 1. *Minimè*, inquit, *consentaneum est, præparationem ad interitum aliò transferre, quàm ad arcanum consilium Dei.* DD. Status contra vetant sic in suis Ecclesiis doceri, & sentiunt Deum neminem ad æternam creauisse dãnationem. Existimant etiam præparationẽ ad interitum non cum maledicto Caluino ad arcanum Dei consilium & voluntatem, sed ad reuelatum eius verbum, causam illius patefaciens malitiam hominum, transferre, scripturæ maximè consentaneum esse. Scriptum est enim: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui* PARATVS *est Diabolo & Angelis eius.* Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare, sitiui, & non dedistis mihi potum, &c. Matth. 25.

Præthereà Caluinus docet, quod Deus peccata vult, & mandat, imò quod homines ad peccandum cogit, atque impellit. *Vult Deus,* inquit, *perfidum Regem Achab decipi, operam suam offert Diabolus ad eam rem, mittitur cum certo* MANDATO *vt sit spiritus mendax in ore omnium Prophetarum.* lib. 1. instit. ca. 18.

§. 1. Item;

§.1. Itē: *Fateor quidem interposita Satanæ opera sæpe Deū agere in reprobis, sed vt eius IMPVLSV Satan ipse suas partes agat, & perficiat*. Ibid. §.2. Et infrà de Assyrijs loquens: *vnde apparet*, inquit, *certâ destinatione Dei fuisse IMPVLSOS*. Et §.4. *Homo iusto Dei IMPVLSV agit, quod sibi non licet*. At verò DD. Status prohibent apud se ita doceri: quasi Deus vllū omnino hominē ad peccādū sollicitet, nedū impellat, & certo mandato ad peccandum mittat. Tertiò Caluinus docet Deū esse omnium eorū facinorū, quę à Satana, aliisq; malignis hominib. ministris, & instrumētis perpetrātur, primā causam, ac principalem authorē. *Tergiuersando itaq; effugium*, inquit, *quærūt, Dei tantū permissu, non etiā voluntate hoc fieri. Ipse verò palam se facere pronunciās effugiū illud repudiat*. lib. 1. instit. c. 18. §. 1. Et rursus: *Absolon*, inquit, *iniusto coitu Patris thorū polluēs, detestabile scelus perpetrat: Deus tamen hoc opus suū esse pronuntiat*. Et ibid. §. 3. *Et iā satis*, inquit, *apertè ostēdi* (blasphemis scil. mēdaciis) *Deū vocari eorum omnium* AVTHOREM, *quæ isti censores* (Papistæ) *volunt otioso tantum eius permissu contingere*. Atqui peccata sunt illa, quæ Papistæ censent tantùm Dei fieri permissu. E. Peccatorum iuxta Caluinum, Deus Author est. At DD. Status cauent doceri in Ecclesiis suis, Deum facere quicquam quod habet vel speciem iniustitiæ, quod tamen ita crassè cum Caluino quoq;

* lib. de cœna Domini. To. 2. Germ. fol. 182.

Zuinglius, quem * Lutherus *Tartareum dæmonem* ſolitus eſt appellare, ebuccinauit, lib. de prouidentia dicens: *Numen author eſt eius, quod nobis iniuſtitia eſt.* Ecce DD. Status multò reuerentiùs, magiſque piè de quibuſdam fidei articulis, vel ex ſolo lumine rationis loquuntur, quam Prædicantes, ſtupidi & indociles ipſorum, neſcio, an diſcipuli, an verò Magiſtri, litteris ſimul & bibliis adiuti.

Cæterùm an Deus aliquos ad ſalutem vocet, quibus tamen eam arcano ſuo conſilio decreuit non dare, quæſtio ſublimior eſt, quàm vt à DD. Statibus hîc capi videatur. Prohibent enim eodem paragrapho & hoc doceri: rectè quidem contra Caluinũ, qui fingit Deum illos, quos ſciuit damnandos, illuſoriè vocare ad ſalutem, vel agnitionem veritatis, inſtar illorum, qui alterâ manu poſt tergum lapidem, alterâ autem panem tenentes, hoc canem ad ſe inuitant, vt lapidem in caput eius fortiùs impingant. Qua de re ſic ait Caluiuns: *Quos in vitæ contumeliam, & mortis exitium creauit, vt iræ ſuæ organa forent, & ſeueritatis exempla, eos vt in finem ſuum perueniant, nunc audiendi verbi ſui facultate priuat, nunc eius prædicatione magis excæcat, & obſtupefacit.* lib. 3. inſtit. cap. 24. §. 12. & ibid. §. 13. *vocem*, inquit, *ad eos dirigit, ſed vt magis obſurdeſcant: lucem accendit*

cendit, sed vt reddãtur cæciores, doctrinam profert, sed qua magis obstupescant: remedium adhibet, sed ne sanentur. Imprudenter autem, & malè contra Catholicos. Ex Scripturis enim certum est, Deum vocare omnes ad salutem, & quidem animo non ficto, vel simulato, sed sincero, pio, paterno. *Venite,* inquit Christus, *ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiã vos.* Matt. 11. *Christus pro omnibus mortuus est.* 2. Cor. 5. *Qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus.* 1. Tim. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiã pro totius mundi.* 1. Ioan. 2. Et hinc S. Apostol. φιλανθρωπίαν Saluatoris nostri Dei commendãs; *qui* inquit, *omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* 1. Tim. 2. Nec tamen salutem absolutè decreuit dare omnibus, sed tantũ aliquibus ex misericordia & gratia; aliquibus nõ ex iniustitia, propter suã ipsorũ culpã; vnde alia Scriptura dicit: *Multi sunt vocati, pauci verò electi.* Matt. 20. Hæc igitur Catholicorum, & Caluinistarum hæreticorũ, in hac sententia diuersitas est, quòd hi vel negent Deum vocare omnes, vel dicant vocare sed simulatè, fallaciter, illusoriè: Catholici verò affirment, & quidem candidè, sincerè, veraciter. Item quod hi blasphement Deum, absolutè decreuisse non dare aliquibus salutem, propter merum suum

beneplacitum; Isti verò propter eorum peccata, flagitia, scelera, &c.

In paragrapho quinto sequente multò etiam rectiùs sentire videntur DD. Status, quàm cæteri Caluinistæ cum suo Principe Caluino. Quando enim prohibent illos molestia affici, qui docent; *Eos à Deo gratiâ esse ab æterno prædestinatos, qui in Christum credituri, & simul in ea fide quoq; ad finem vsq; perseueraturi essent*, videntur aliter de fidei cōditione sapere, quàm Caluinus, qui ea vltima verba superfluè, & frustrà dici censeret, dum contendit fidem à possidētibus amitti non posse, sed credentes semel, semper in fide ad finem vsq; omnes perseuerare. Arctiùs itaque Caluinus premeret & fortè molestaret valdè ita loquentes, quod nimis dubiè & scrupulosè isti inuoluant potiùs quàm explicēt tam planum suæ religionis mysterium.

In paragrapho sexto, vbi Catechismus Heidelbergensis quibusdam in locis pro concione dicitur prædicandus, & explicādus, DD. Status parùm memores sunt eorum, quæ paulò antè in secudo & tertio, & passim suprà decreuerunt, vbi materia prędicationis præscribitur aliquis S. Scripturę textus; nisi forte eundem Catechismum inter reliquos S. Scripturæ libros Canonicos authoritate suâ iam pridem retulerint.

CAP.

CAP. III.

DE PVBLICIS ORATIONIBUS seu precibus.

I.

PReces antè, & post concionem deuotè dicētur, cum prauia ad populum adhortatione, vt in signum humilitatis coram Deo non solum genua cordis, sed & corporis flectat.

II.

Et quia preces, & laudes, sicut gratiarum actiones, pracipua cultus nostri diuini pars sunt, predicantes monebunt populum, vt iisdem intersit, nec citiùs ex Ecclesia euolet, aut tardiùs in eam conueniat, quin ab omnibus simul peragantur.

NOTA.

OPto sic ab illis fieri, sed in fide Catholica, iuxta formam, & præscriptum S. Sanctæ Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ.

CAPVT VI.

DE S. BAPTISMO.

I.

*FOedus Dei Christianorum liberis sacro baptismate, quàm primum eius administratio haberi potest, obsignari debet; idq́ in publica congregatione, quando verbum Dei prædicatur. Iis autem in locis, vbi raro fit concio, duo per hebdomadam dies extraordinariè ministrando baptismo destinabuntur. Si tamen ea esset puerulorum inualetudo, & parentum infirmitas, vt tempus hoc, sine vehemente * periculo exspectari non possit, licebit quoque ad obuiandum imbecillis, infantes istos, præsertim in pagis, extra statutum tempus, imò etiam domi, baptizare.*

* Côcussione.

II.

Quacunque occasione, sub prædicatione, & extra eam, monebuntur parentes, vt ipsimet suos liberos offerant ad baptismum, ibidemq́ pro eis, more consueto, respondeant.

III.

Nomina baptizatorum, eorumq́ parentum, ac tempus accepti baptismi, ab æditno in quodam registro consignabuntur.

NOTA

NOTA.

BEne notandum hic venit ex paragrapho primo, quod DD. Statuum de maturè infantibus baptiſmo præceptio vulgo Caluiniſtarum magis pia videatur & doctrinæ Catholicæ de extrema huius Sacramenti neceſsitate, veritati propior. Caluinus enim in ſuis inſtitutionibus periculum, vel neceſſitatẽ nullam omninò hîc agnoſcit, ita vt opus nõ ſit neq; in infirmitate magis feſtinare, neque infirmãtes extra Eccleſiam, domi, vel priuatim baptizare. *Non patior*, inquit, *vt in priuatis pij hominis ædibus baptiſmus purè iuxta* CHRISTI *regulam adminiſtretur. Nam huiuſmodi baptiſmus, qui apud nos non permittitur, iure quidem vetitus eſt*, in epiſtola ad Lælium Sozin. 7. idus Decembr. Anno 1549. ſcripta. Et lib. 4. inſtit. cap. 15. §. 20. *At*, inquit, *periculum eſt, ne is qui ægrotat, ſi abſque baptiſmo deceſſerit, regenerationis gratia priuetur. Minimè verò*. Et mox ſubiungit: *Quantum damni inuexerit dogma illud malè expoſitum, baptiſma eſſe de neceſsitate ſalutis, pauci animaduertunt, ideoq́, minus ſibi cauent*. Vnde quendam parentẽ, qui filiũ ſuũ potius ſine Sacramẽto paſſus eſt emori, quàm vt ipſi apud Catholicos baptiſmum procuraſſet, in qua-

dam epiſtola Geneuæ 6. Septemb. An. 1554. ſcripta, non modo excuſat & conſolatur; verum etiam ſummoperè laudat, omnique eximit triſtitia de tali filij obitu. *Nec tamen*, inquit, *factum per ſe damnationem meretur, quum propoſitum tuum ſanctum fuerit, & laudabile. Atque infans ita priuatus eſt ſigno ſalutis, Baptiſmo nempe. Nego tamen illius coram Deo deteriorem eſſe conditionem.*

Quod ſi eadem DD. Statuum, qui ſaltē hic aliquid ſimplicium & ruſticorum imbecillitati putant conniuendum, opinio ſit, quando aiunt *Fœdus Dei pueris obſignari debet*, quaſi eis iam antè ſua conſtet ſalus, & ſanctitas ab vtero, quæ Sacramento illis non acquiratur, ſed tantùm obſignetur non minùs impiè gratiam baptiſmatis, *quod nos ſaluos facit*, teſte Scriptura Apoſtolica S. Petri, 1. Pet. 3. & S. Pauli Tit. 3. euacuant, ipſūque Chriſtum, eius Authorem, mendacem inſimulant, quā impiiſsimus Caluinus, & flagitioſiſsimus olim Hereſiarcha Pelagius, teſte S. Auguſt. lib. 6. contra Iulian. cap. 2. & 3. Vbi Pelagianis hanc impingit hæreſin, quod dicerent fidelium infantes ſine peccato originali naſci, nullaque ideò ablutione, & Sacramento egêre regenerationis. Expreſsè enim dixit, qui hoc ſacrū lauacrū in Eccleſia inſtituit, Chriſtus: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non poteſt introi-*

introire in regnum Dei. Quod natum est ex carne, caro est, & quod natum est ex Spiritu, spiritus est. Ioan. 3.

Quæ clara verba etsi obscurare, & in distortum sensum rapere conatur Caluinus, dicens: *Nullo modo adducor, vt Christum de baptismo verba facere credam*, in suo super hũc locum Commentario; Beza tamen de perspicuitate textus in conscientia conuictus, apertè pronunciat contrà: *De baptismo*, inquit, *hic agi OMNINO existimo*. Et quæ est alia in toto Euangelio aqua, cui Spiritus S. ita propè arcteque iungitur, quàm aqua baptismi? & ex qua renascimur, quam aqua baptismi? Et hinc B. Paulus eam *lauacrum* appellat *regenerationis*, Tit. 3. quod per eam spiritualiter regeneremur, & renascamur Sancti, & iusti, qui carnaliter priùs impuri, & iniusti fuimus nati. *Ecce*, inquit, S. Propheta Dauid, quo neque DD. Status, neq; fætus sui vnico pilo sanctiores sunt, *in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Psal. 50. Et S. Iobus: *Quis*, inquit, *potest facere mundum de immundo conceptum semine?*

Sic igitur fœdus Dei baptizandis obsignari debet, quod iam abluti, & *baptizati Christum*, id est, iustitiam, qualis nobis à Deo factus est, 1. Corint. 1. *induerint*, Gal. 3. qui

qui prius erant iniqui, & *natura filij iræ, sicut & cæteri*, Ephe. 2. Morientes autem, vel mortui sine baptismi lotione, aliud testimonium non habent, quàm sui non introitus, h. est. exclusionis è regno cælorum.

Sic enim, præter Scripturam, Sancti nos quoque docuerunt Patres, S. Ambrosius lib. 2. de Abrah, cap. 11. *Nisi*, inquit, *quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non potest introire in Regnum Dei: vtiq; nullum excipit, non infantem non aliquem præuentum necessitate*, S. Prosper lib. 2. cap. 20. *Neque enim*, inquit, *credi fas est, eos, qui regenerationis non adepti sunt Sacramentum, ad vllum beatorum pertinere consortium.* S. Augustinus lib. 3. de origine Animæ cap. 9. *Noli*, inquit, *credere, noli dicere, noli docere infantes antequã baptizẽtur, morte præuẽtos peruenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse Catholicus.*

Et in epist. ad Hieron. *Quisquis*, inquit, *dixerit, quod in Christo viuificabuntur etiam paruuli, qui sine Sacramenti eius participatione de vita exeunt, hic profectò totam condemnat Ecclesiam: vbi propterea cum baptizandis paruulis festinatur, & curritur, quia sine dubio creditur, aliter eos in Christo omninò viuificari non posse.* Omitto alios. Non quod Deus Sacramentis alligauerit se, sed nos, vt iis salutaribus vitæ mediis vtentes, saluemur: non vtentes, pereamus.

Cæte-

Cæterùm duos ordinare per ſeptimanā dies, quibus conferatur baptiſmus, ſicuti infrà cap. ſeq. totidem, vel quatuor per annum, quibus celebretur cœna: Item non baptizare aliis diebus, quàm quibus habetur concio, ſeu prædicatio; ea pari facilitate, & temeritate à populo reiici poſſunt, q: â à DD. Statibus præcipiuntur. Extra enim ſcripturā dicuntur, & contra fundamētum, primumq́ue huius Synodi principium. Apoſtolicæ autem Eccleſiæ *portæ aperientur iugiter*. Eſa. 60. in qua Saluator tota die expandit manus ſuas ad populum, *vt congreget ſicut gallina pullos ſuos ſub alas*. Matt. 23. cuius gratia offertur omnibus, nulloq́; denegatur petentibus tempore aſſiduè vocantis, & inclamantis: *Venite ad me omnes: qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos*. Matth. 11. Quoties igitur à peccatis lauādi, à delictis abſoluendi, ſacro Dominico corpore cibandi ſeſe aliqui offerunt, toties ambabus vlnis, etiam media nocte Mater Eccleſia Catholica illos ſuſcipit, & complectitur,

Alterum verò etiam ſuperſtitione plenū eſt, non baptizare alio die, niſi quo fiat, vel facta ſit prædicatio. Nihil de hoc quod ſic facere oporteat, in Scripturis, S S. Patribus & Conciliis legimus præceptum. Chriſtus quidem cum prædicatione verbi Sacramē-

torum

torum administrationem coniunxit, & necessariò infideles voluit priùs doceri, quam baptizari, quando suis dixit Apostolis: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes, &c.* Sed ille temporis ordo, qui apud adultos seruatur, non vnum eundemq; exigit diem; neque etiam ea doctrina de concione præcisè intelligitur, sed de præuia illorum qualicunque in fide Christi institutione. Secùs non magis licebit vnquam concionari; quo tempore simul non administretur baptismus, quam minus apud DD. Status licet baptizare vnquam, quo non eodem die habeatur, vel habita sit concio. Nugæ Nugarum.

(∴)

CAPVT

CAP. V.

DE S. CAENA.

I.

Caena Domini iuxta institutionem Christi, saltem quater per annum in vrbibus, nempe die Natiuitatis Christi, Paschatis, Pentecostes, & semel in mense Septembri celebrabitur. In pagis verò saltem bis, in Natali scilicet, & Paschate.

II.

Auditores seriò ad eam inuitabuntur, vtq; sese benè probent, admonebuntur: & qui omnium primùm ad mensam Domini sunt accessuri, alicui suorum Prædicantum, cui confessionem fidei suæ edent, sese insinuabunt.

III.

Ex peregrinis qui veniunt locis, cupientes de mensa Domini participare, ante omnia testimoniales prioris conuersationis suæ litteras Prædicantibus locorum, vbi admitti petunt, exhibebunt.

(∴)

NOTA.

NOTA.

DE historionico hoc epulo, quod DD. Status alijs in locis bis, alijs verò quater in anno celebrari iubent, vocantq; Cœnam Domini; ingenuè dico, in Scripturis, SS. Patribus, & concilijs antiquis Ecclesiæ primitiuæ reperiri nihil, sed totum à Dæmone, ministris Luthero, Zuinglio, Caluino, &c. Christi, & Catholicorum Simiis; illusoriè institutum esse. Certum quidem est ex Euangelica historia, Christum pridiè quam pateretur, serò cum duodecim discipulis suis cænatum esse, inque ea cæna vltima secundum legem, & ritum Test. Veteris, à Deo populo Iudaico præscriptum Exodi 12. Agnum paschalem comedisse. Sic enim narrat S. Lucas cap. 22. *Venit autem dies Azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha, & misit Petrum & Ioannem, dicens: Euntes parate nobis Pascha.* Et sequitur. *Euntes autem inuenerunt sicut dixit illis, & parauerunt Pascha. Et cum facta esset hora, discubuit, & duodecim Apostoli cum eo, & ait illis: Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar.*

Sed ea Cæna Domini nihil ad nos pertinet Christianos, quippe quæ circumcisorum

forum propria fuit, ijsque solis instituta, Exod. 12. Per Christum autem, verum & immaculatum Agnum Dei Ioan. 1. & 1. Pet. 1. quem figurauit, sublata. Heb. 7. Hanc igitur cænam Domini si DD. Status μνημονικῶς in suis adhuc cætibus Ecclesiasticis celebrant, aut verò repræsentant, vel Iudæorũ proselyti sunt, vel Christi Simiæ appellari possunt.

At verò nos Catholici non illam cænam Domini corporalem, in qua mortuus comedebatur Agnus ouium de terra, sed spirituale, quod eam immediatè secutum fuit conuiuium, in quo sumitur ipse Christus, *Agnus Dei*, Ioan. 1. *Panis viuus, qui de cælo descendit*. Ioan. 6. nō bis, nō quater in anno; sed iugiter, omni die, ac loco, *ab ortu solis vsque ad occasum*. Mal. 1. Iuxta institutionem Christi dicentis: QVOTIESCVNQVE *mãducabitis panem* HVNC 1. Cor. 11. celebramus.

Quod sacrum fidelium Christi epulum, si cum S. Apostolo Paulo vocare libet *Dominicam cœnam*, manducetur etiam iuxta Apostolicam eiusdem S. Pauli traditionẽ, cæterorumque SS. Euangelistarum historiam: qui omnes vno ore testantur Christũ eâ nocte, qua tradebatur accepisse panem, & gratijs actis, fregisse, ac dixisse: *Accipite & manducate*, HOC EST CORPVS MEVM,

D *quod*

quod pro vobis tradetur. Similiter & calicem
1 Cor. 11 vers. 24. accepisse, &, actis gratiis, Apostolis dedisse,
Matt. 26. vers. 28. ac dixisse, HIC EST ENIM SANGVIS MEVS *noui Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum:* Atque ita promissionem suam, dudum antè discipulis factam, *Panis quem ego dabo, Caro mea est, pro mundi vita,* Ioan. 6. *Caro enim mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Ibid. veraciter tandem impleuisse.

Porrò quemadmodum in V. Test. non licebat cuiquam edere ex agno isto Paschali, nisi prius Deo per sacrificium immolato, Exod. 12. ita etiam propter typi & antitypi; vmbræ & corporis; figuræ & veritatis analogiam, ac similitudinem, nemo potest de hoc Agno Dei Christo, manducare, nisi priùs Deo per sacrificium Test. noui in Ecclesia oblato, de quo confidenter loquitur S. Apostolus ad Heb. cap. 13. *Habemus,* inquit, *altare, de quo edere non habent potestatē, qui tabernaculo deseruiunt.*

Et hæc est oblatio illa munda, de qua per os S. Malachiæ Prophetæ locutus est Deus, sub finem Testamenti Veteris, dicens: *Quis est in vobis, qui claudat ostia, & incendat altare meum gratuito? Non est mihi voluntas in vobis dicit Dominus Exercituū, & munus non suscipiā de manu vestra. Ab ortu enim solis vsq; ad occasū magnum est nomen meum in gentibus: & in omni*

loco

loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus Exercituum. Quę Prophetę verba Lutherus, editione etiam Caluinistica, germanicè vertendo non incommodè reddidit: Aber vom Auffgang der Sonnen biß zum Nidergang soll mein Name herrlich werden vnder den Heyden/ vnd an allen Orthen soll meinem Namen geräuchert/ vñ ein rein Speißopffer geopffert werden. Vbi Prophetiæ huius complementum & veritas apud Lutheranos, & Caluinistas?

Catholicorum igitur cæna, si sic appellanda, sacrificium est, & Sacramentum non panis, & vini; sed in eorum speciebus corporis, & sanguinis Iesu Christi; qui in istarum alterutrâ totus manducando bibitur, & bibendo manducatur viuus, & viuificans, benedictus in sæcula, Amen.

(·:·)

CAP. VI.

DE FESTIS, ET Ferijs.

I.

PRater Dominicam, quæ antiquâ consuetudine, cultu Diuino sacrari, & sanctificari solet, nulla alia festa celebrabuntur, quam dies prima & secunda Natiuitatis Domini, dies Circumcisionis, feria sexta Parasceues tẽpore solum antemeridiano, dies prima, & secunda Paschatis, & Pentecostes, ac denique dies Ascensionis: ad quæ festa populus, vt sese ad concionem paret, ac recipiat, Dominicâ proximè antecedẽte commonebitur, & interdicetur omnibus Cauponibus, & Tabernariis, ne durante prædicatione, hospitibus promant; aliis etiam ne pilâ ludant, vllamue insolentiam, quâ cultus Diuinus perturbari possit, exerceant, sub certâ pœnâ à nobis statuendâ.

NOTA.

CAluinus quidem audax appellaret facinus, præter vnicum in hebdomada diem, diuinitùs institutum, plura introducere festa, & clerianda populo indicer.

cere absque expresso in S. literis mandato. Sed alterum multò magis mihi videtur impium, nempe festa Sanctorum in vniuersũ abrogare, in quibus Deum laudare clarus Scripturæ textus iubet. *Laudate*, inquit, *Deum in Sanctis eius*, Psal. 150. vbi Augustinus interpretando ait: *Vtiq; in iis quos glorificauit*. Et sanè, vt sic quærere liceat, Estne vnus idemque Deus, ac Dominus, qui festis Sãctorum, aliisque Christi, Spiritus S. Trinitatis, & omni die in Ecclesia colitur, cuius laus durat in sæcula? Cur D D. Status non præcipiunt potiùs suis, maximè Prædicantibus, vt secundum S. Scripturam, & Regij Prophetæ Exemplum atque exhortationẽ, laudent ac celebrent Deum in fidelium cõgregatione ferialiter, & quotidie, vt impleatur, quod scriptum est per Prophetam: *Benedictus Dominus die quotidie* Psal. 67. *Cantate Domino, & benedicite nomini eius: annunciate de die in diẽ salutare eius.* Psal. 95. *Septies*, inquit ille, *in die laudẽ dixi tibi*, Psal. 118. *Vesperè, & manè, & meridie narrabo &, annũciabo; & exaudiet vocem meã*: Psal. 54 *Et lingua mea meditabitur iustitiam tuam, tota die laudem tuam*. Psal. 34. *Repleatur os meum laude, vt cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam*. Psal. 70. *Per singulos dies benedicam tibi*, Psal. 144. Cuius generis sexcenta in psalmis Dauidis leguntur. Neque aliter in primiti-

ua Ecclesia psallebant magni illi Doctores, & Sancti Præsules, Ambrosius, & Augustinus, canentes in celebri hymno suo: *Per singulos dies benedicimus te : & laudamus nomen tuum in sæculum, & in sæculum sæculi.*

Sed benè videntur appellari posse *cognatio eorum, qui dixerunt in corde suo : Quiescere faciamus omnes dies festos Dei à terra*, de quibus Psal. 73. prædixit idem Propheta.

Et hoc verè contigit initio prædicationis Caluini apud Geneuēses, vt præter Dominicū dies festi omnes simul & semel abrogati fuerint, testante Beza in vita Caluini. Et Caluinus ipse in multis epistolis, qui etsi inuentum hoc in epistolarum vna, ad ministrum Burensem data, adscribat Farello, & Vireto Auctoribus, factum tamen ipse probauit, & confirmauit. *Ego*, inquit, *receptæ consuetudini libenter acquieui.* Ibid. Certè quę mens fuerit Caluini, & consiliū quale suggesserit Monsbelgardensibus, patet ex sua ad ipsos epistola, Geneuæ Non. Oct. Anno 1543. scripta. *De campana*, inquit *pulsu nollim vos pertinaciùs reclamare. In festis non recipiendis cuperem esse vos constantiores.* Et rursus epistola Anno sequente, Oct. Id. Maij data: *De pulsu*, inquit, *Campanarum, & diebus festis, ita sentimus; ferendas potius esse vobis has ineptias, quàm stationem, in qua estis à Domino collocati,*

cati, deserendam, modò ne approbetis, modò etiam liberum vobis sit reprehendere.

Quos verò deinceps dies præter Dominicum festos, vtpotè Natiuitatis & Ascensionis, nimis inualescente vulgi, inde scandalizati, murmure, Senatus Geneuēsis iterum assumpsit, eos politiæ, non religionis gratiâ se posteà seruare dixit Caluinus. Huius rei vestigia reliquit in Comm. in epist. ad Gal. cap. 4. vers. 10. & ad Collos. cap. 1. v. vbi ait: *Atqui dicet aliquis, nos adhuc retinemus aliquam dierum obseruationem. Respondeo: Nos dies nequaquam seruare, quasi in ferijs aliqua sit religio, aut quasi fas non sit tunc laborare, sed respectum habere politiæ, & ordinis.* En Caluinianam pietatem!

Cæterum Zuingliani in Heluetia in festis ordinandis, abrogandisque cum DD. Statibus ferè conueniunt, nisi quod cum quibusdam aliis apud Bernenses adhuc solemne sit festum Annunciationis B. Mariæ. Ita enim refert Aretius, Bernensium Prædicans, in suis *problem.* tit. *de ferijs* ad finem: *Nostræ,* inquit, *Ecclesiæ seruant diem Dominicū, diem Natiuitatis Domini, Paschatis diem, diem Palmarum, Pentecostes, Annunciationis Mariæ,* &c. Reliqui Caluinistæ Bernenses in hoc Papistas clamitant, ac idololatriæ incusant. Quomodo se hoc crimine Bernates exonerent, loquantur ipsi pro se, quia ætatem habent

Christus Dominus feriatus est, & celebrauit Hierosolymis festum Encæniorum, seu dedicationis tẽpli, ab homine Iuda Machabæo, suffragãte populo, institutũ. 1. Machab. 4. At DD. Status non tantum feriari nolunt, sed & celebrari prohibent festa B. Mariæ Virginis Matris Dei & SS. Apostolorum, ab vniuersa Ecclesia Spiritu Dei ordinata. Si licuit isti Iudæ erigere Deo festum in honorẽ templi, sacri ædificij, quantò magis licebit toti Catholicæ Ecclesiæ Deo dedicare & consecrare festa in honorẽ Sanctorum ædificantium? Dicit enim S. Apostolus Paulus: *vt sapiẽs Architectus fundamentum posui, alius autem superædificauit*, 1. Cor. 3. Deinde Templum domus sancta est, & sanctificatur ab inhabitante Dei spiritu. Vtrum autem magis ædificium, an ædificantes? Templum Dei in terris ex lapidibus, calce, & lignis inter se iunctum, in quo ille habitat & inuenitur per gratiam; an verò vasa gloriæ, templum cæleste ex viuis & sanctis animab. Deo counitis, in quibus diuina sua relucet Maiestas, structum?

Certè Beatissimam Virginem Matrem Dei Altissimi, sacrarium Spiritus S. vas fuisse, in quo etiam in terris habitauit tota Deitas & humanitas Christi (vt taceam illum ex sanguine ipsius formatum, de vtero natum, lacte pastum) totus credit, & confitetur

tetur orbis Christianus. Et non esse fas, licitumque Ecclesiæ in huius diuinissimi Templi, structuram, dedicationem, & sanctificationem Deo canere laudes, celebrare dies festos, eorumque peragere solemnia? quod facit quando Beatissimæ Mariæ conceptionem, Præsentationem, Purificationem, &c. sanctâ recolit memoriâ. Imo nefas esset non facere. Summa enim ingratitudo esset, tot tantaq; Dei beneficia, virtutes, miracula, quæ operatus fuit in Matre, in Apostolis, in Martyribus, in Virginibus, &c. silentio supprimere, nolle celebrare, prædicare, scire; sed omnem eorum memoriam ex hominum mentibus, oculis, auribus aufferre, delere, sepelire, plusquā Diabolica ea inquam impietas esset, inque Deum, & cælites vniuersos, irreuerentia, contemptus, contumelia maxima, pessima.

Longè igitur rectiùs, ac salutariùs nos Catholici laudamus Deum in Sanctis eius, tanquam in sanctissimo templo eius, quorum festa, & memorias quando, & quoties celebramus, tunc totiesque diuinissimi istius in cælis templi sunt apud nos in terris encænia, & triumphantis Ecclesiæ dedicationis festa ad gloriam Dei, eiusque Sanctorum honorem, & memoriam; nec non ad instructionem, spiritale gaudium & consolationem nostram, à militante Ecclesia

inſtituta, ordinata, dicata, & conſecrata.

CAP. VII.

DE IEIVNIIS, ET ROGAtionum diebus.

I.

PRæter extraordinarios ieiuniorum, precum, laudũq; dies, quos vnà cũ alijs Prouinciis vicinis & cõfœderatis, vel etiã ſine illis pro hac noſtrâ Diœceſi ſola indicturi ſumus; volumus, vt poſthac ordinarium quoddam & vniuerſale quotannis ſeruetur in has Prouincia ieiunium, nominatim poſt Paſcha, cuius præciſum diem, tempuſuè ſpecialibus litteris noſtris exprimemus.

II.

Præfatos ieiuniorũ, ſupplicationũ, laudũq; dies, volumus vt omni cum deuotione peragantur, cum commemoratione omnium & ſingulorum Dei beneficiorum, patriæ huic præſtitorum; quo tempore nemini licebit opificia exercere, vel ſymposia hoſpitibus exhibere, in ſphæriſterio ludere, vllamue inſolentiam committere per diem integrum, ſub graui pœnâ delinquentibus infligendâ.

NOTA.

SI quid in tota hac Synodo ridiculè dicitur,

citur, hoc erit vel maximè de ieiunio, ab hominibus bene pastis, & potis, semperque saturis; cuius vsus apud omnes vbique huius æui sectarios vel nullus est, vel rarissimus, & tunc præposterus, vt infrà patebit. Caluinus ieiunium in nulla ponit laude, in nulla cultûs diuini specie lib. 4. Institt. cap. 12. §. 19. *Multo*, inquit, *satius fuerit nullum prorsus esse ieiuniorum vsum, quam diligenter obseruari*, quod *superstitiosum* esse dicit. Et mox ibid. *Alterum malum huic affine summopere cauendum est, ne pro opere meritorio, aut specie cultus diuini censeatur. Nam quum res sit media, nec quicquam habeat momenti, nisi propter eos fines, in quos respicere debet, perniciosissima superstitio est, confundere cum operibus à* Deo *mandatis*. Et ibid. paulò post: *Tertius*, inquit, *error est, & quidem periculosus, tanquã vnum ex præcipuis officiis morosiùs ac rigidiùs exigere, ac immodicis encomijs sic extollere, vt homines se aliquid eximium fecisse putent, quum ieiunauerint. Qua in parte non in totum excusare audeo veteres*(sic vocat SS. Patres)*quin & superstitionis quædã semina iecerint, & occasionẽ præbuerint tyrannidi, quæ posteà exorta est. Et tũc passim inualuerat, superstitiosa Quadragesimæ obseruatio; quia & vulgus eximiũ aliquod obsequium Deo se in ea præstare existimabat, & Pastores eam commendabant pro sancta Christi imitatione.*

Hæc

Hæc breuis est de ieiuniis mens, & sententia Caluini.

Hinc itaque nullus est eorum vsus apud morigeros suos discipulos in Galliis,& Palatinatu Germaniæ, siue ex præcepto, siue ex consilio ipsius. Prorsus etenim nullum esse,multò satiùs esse ait, *quàm diligenter obseruari*,quod *superstitiosum.* In Belgio tamen à DD. Statibus semel atque iterum indicta memini. Celebre enim est, inque recenti adhuc memoria, edictum, quo generales DD. Status Prouinciarum vnitarum Belgij, Hagæ Comitis 22. Aprilis, Anno 608. feria quarta intra octauam Dominicæ Resurrectionis, omnibus ac singulis Iurisdictioni suæ subditis,in diem 6. Maij sequentis indixerunt, mandaueruntque ieiuniũ, idque vt verè inuersus appareat apud ipsos orbis,& tota natura,non in pænitentiæ,vel luctus, sed lætitiæ & gaudij signum,ob fæliciter pactas pacis,induciarumuè conditiones.Ex quo videre est,quando & in quem finem, DD. Status, summi in Holandia Pótifices, suo cum grege nonunnquam ieiunent, nempe tempore Paschali, affecti beneficiis, & gaudiis: calamitatibus afflicti, credo quod epulentur, ad sopiendum tristitiam. Næ isti homines cum ratione insaniunt!

Intereà particulares DD. Status Vltra-

icctini

iectini quid? ordinarium aliquod & annuum insuper meditantur in sua Prouincia ieiunium. De tempore, quo instituendum est, conueniunt, nempe suo more post Pascha, de die verò, deque duratione eius, adhuc sunt suspensi, magisq; solliciti de modo, qualiter seruetur. Non leuibus ex signis coniicerem casurum in dies caniculares. Primò etenim si quis etiam totius anni curriculum voluat, non inueniet tempus scilicet post pascha, iis commodius, quo populus ieiunet & facilius & promptius, addo & salubrius. Quia enim tempore caniculæ ob immoderatum solis æstum externum, qui internum calorem corporis euocat, stomachus debilior est, vt neque multos, neque graues cibos ferre possit, spontè & vltrò inclinante naturâ, populus moderatũ ieiuniũ, quatenus parciùs cõmedet, & solito minùs, acceptabit. Deindè facilè solent carnes eo tempore à muscis infici, cõputrescere, putêre, & rancidæ fieri, vt periculosum sit ex illis multum gustare. Tertiò etsi ob sitim magis accensam, tunc plerunque frequentiùs, & largiùs bibi soleat, potus tamen non tam facilè, nisi quis eo in fraudem abutatur, ex communi Casistarum cõsensu, frangit ieiunium, adeò vt hoc ipso anni tempore nunquam poterit magis & meliùs seruari; nunquam minùs violari.

In

In quem tamen post Pascha diem D D. Status ieiunium hoc sint reiecturi, auidè exspecto, & scire desidero.

CAP. VIII.
DE ECCLESIASTICIS Canticis.

I.

Consuetudo psallendi in reformatis Ecclesiis nostris vsu recepta continuabitur, inq; eum finem ad Dei gloriam, & honorem, nec non ædificationem Ecclesiæ canentur Psalmi Dauidis; Cãtica Mariæ, Zachariæ, Simeonis; Symbolum fidei; Decalogus, Oratio Dominica; & cantilena vespertina, Christe qui lux es, & dies: *Item oratio ante concionem, dici solita:* O Deus, qui pater noster es: *vnà cum multis aliis Scripturæ canticis, & hymnis, tractantibus de Christi Natiuitate, Circumcisione, Baptismo, Passione, Morte, Resurrectione à mortuis, Ascensione ad cælos, Missione Spiritus Sancti; post tamen visitationẽ, & præuiam de hisce recognitionem eorum, quos ad hunc finem committemus, & notitiam nostrã de locis in quibus, & quomodò, nec non quatenus opportunè, & ad maiorem deuotionem cantiones istæ introduci, atque exerceri possint.*

NOTA.

NOTA.

IN ſumma quid in Eccleſiis prædicandum, quid in illis cantillandum, aliudue faciendum eſt, id omne, eius principium, medium, & finis Apoſtolicâ cura, & operâ DD. Statuum ordinari videmus. Vbi notãdum illos non mediocriter in Theologica ſapientia & pietate paulatim proficere. Suprà enim, *capitulo de feſtis*, nullum omnino diem laudibus Sanctorum Apoſtolorum, vel etiam D. Virginis deputauerunt. Nunc mandant etiam in Eccleſiis ſuis pſalli cantica Mariæ, Zachariæ, Simeonis, &c. quæ à cæteris Caluiniſtis nunquam; à Catholicis omni die, à Lutheranis pleriſq; diebus Dominicis, & feſtis, imprimis B. Mariæ, quibus ſacra colitur memoria Angelicæ Annunciationis, Viſitationis, & Purificationis, canuntur. Videntur igitur DD. Status tacitè probare morem iſtum, ſi non Catholicorum, ad minimum Lutheranorum, ac conſequenter plura aliquot feſta reuocare, quibus B. Virginis cantiones opportunè cantillentur. Opto vt fiat, ſub ſancta obedientia ſedis Apoſtolicæ.

CAP.

CAP. IX.

DE SENIORIBVS.

I.

Sicut in magnis præsertim cœtibus necessarium est constituere viros pios, & spectabiles aliquos, qui cum Ordinariis Inspectoribus Ecclesiæ (vt sunt Pastores, & Prædicantes) iuuent regere Ecclesiam, qualis etiam in Apostolica Ecclesia consuetudo obseruata fuit; neque possunt tempore præsenti inueniri, qui eo munere continuè & assiduè fugantur; visum est, in pristina & hactenus vsitata prouisione conquiescere.

II.

Quare in Ciuitate & vrbibus Senatus Ecclesiasticus, compositus ex Prædicantibus & Senioribus, semel quotannis circa Pentecosten idoneas tot eliget personas, quot moris est Senioratus præficere officio, viros potentes in verbo Dei, intelligentes, Zelosos, prudentes, pacificos, honestæ vitæ & famæ, præsertim ciues, & inquilinos, quorum nomina Magistratui, vt ex ijs quos velit seligat, exhiberi debent. Electorum posteà nomina quadam Dominicâ publicè in Ecclesia populo prælegentur, vt si intra octiduum nihil in ipsorum dedecus afferatur, instituantur.

Horum

III.

Horum officium erit, vnà cum ordinariis Pastoribus, & Prædicantibus super gregem inspicere & vigilare, in Consistorio comparêre, consultare, & omnia, quæ ad ædificationem Ecclesiæ vtiliter proponentur, resoluere, eaq́; pro viribus exequi, vt verbum Dei in sincera puritate conseruetur, scãdala amoueantur, & pietas promoueatur passim, iuxta Dei verbum, & hanc Ecclesiasticam ordinationem, quam in sui officij introitu gnauiter se seruaturos stipulabuntur.

IV.

Nisi vrgeat necessitas, & bona aliqua eorum sit copia, de qua Deputati Synodi cum Pastoribus locorum sese informabunt, nulli foris, in vicis, & pagis, neque Seniores, neque Senatores Ecclesiastici constituentur: sed communia Ecclesiæ negotia soli administrabunt Prædicantes, singularia verò, & ardua ipsi non sine consultis Deputatis Synodi transigent.

V.

In quibus verò pagis hactenus consuetudo Seniores tulit, vel necessitas eos adhuc postulat, stabit eorum nominatio numeri duplicis penes Senatum Ecclesiasticum istius loci; Electio vero eorundem simplicis numeri penes Tribunos plebis, vel Deputatos Synodi, quorum immutatio, vel institutio annuè fiet circa festum Pentecostes, vt suprà de vrbibus fuit dictum.

NOTA.

NOuum Caluini Euangelium fictitio titulo *reformatæ religionis* nouas inuẽnit leges, nouam Ecclesiæ politiã, noua in ea ministrorum, officiorumq; nomina. Quia enim ab antiqua Ecclesia annorum sesqui mille & amplius, toto cælo discrepat tam in Regulis vitę, quàm fidei doctrina, opus fuit omnia, & res, & vocabula interpolare, immutare, inuertere. Ac primò quia Catholici non sunt, eoq; nec dici possunt, vt imperitæ interim plebi satisfaciant, hoc est fucum faciant, æquiualente nomine sese orthodoxos ipsi vocitant.

Secundò quia nullos in noua sua Ecclesia habẽt neq; Episcopos, neq; presbyteros quorum tã frequens est passim in S. litteris mentio, ne fraus animaduertatur etiã à mediocriter doctis, qui aliàs suspicari possent hanc suam reuerà non esse veterem illam Ecclesiam Apostolicam, astutè Episcoporũ, & presbyterorum nomina commutauerũt vocabulis latinis *Inspectorum* & *Seniorum*, quibus qualecunque affigunt, vel potius affingunt officium.

In cæteris omnibus suis dictis, & scriptis adeò græcantur, vt post singulas ternas voces intermisceãt dictiones græcas, ac si ipsis esset

esset ea lingua natiua: hîc verò Apostolicas appellationes græcas, in omni ferè natione & linguâ notissimas, cõuertunt in latinas, longè apud ipsos latinos istis obscuriores, & ignotiores. Omnes enim facilè sciunt quid sint Episcopi, quid presbyteri: quid verò inspectores, & seniores in hoc Caluiniano sensu, vsuque loquendi, præter inuentores, vix dum vnus, & alter.

Et hinc DD. Status eorum officium describẽdo peregrinis explicare opus habẽt. §. 1. Qui nempè præter Pastores, & Prædicãtes, Inspectores ordinarios, iuuẽt regere Ecclesiam. Et §. 3. Horũ, inquiunt, officium erit præter Pastores & Prædicantes, inspectores ordinarios, gregi attendere, & inuigilare, in Senatu Ecclesiastico comparere, dare cõsilia, soluere dubia, vt verbũ Domini in debita conseruetur puritate & sinceritate, scandala tollantur, & pietas promoueatur; omnia secundum Dei verbum.

Quid hoc verò *Senatus Ecclesiasticus*? nomẽ in partibus Belgij hactenus inauditũ, & res similiter? Reuerà. Senatus enim Ecclesiastici paucis ab hinc annis inuentio prima Heidelbergensiũ est. Estq; Heidelbergę tãquã in metropoli, virorũ aliquot in Theologia & iure litteratorũ, sub vno Pręside nobiliore, in Electoralis aulæ Camerarũ vna consessus, quibus Ecclesiasticũ regimẽ per

totum Palatinatum à Principe ſub certo ſtipendio annuo commiſſus eſt. Similem Senatum iam nuper in ſuo Principatu erexit quoque Landgrauius Haſſiæ. Viderunt enim & vident indies, quoad rerum in Eccleſia gerendarum praxin, neceſſariò conſtitui oportere aliquam hierarchiam, licet contra eam in acie ſemper ſteterit armata tota doctrina, & factio Caluiniana.

Atque hic Senatus dirimit matrimonia, ſi coniugum alter mæchatus fuerit, confert Paſtoratus, & officia Eccleſiaſtica, (beneficia Principes ipſi occupant) miniſtros verbi vocat, mittit, ordinat, etiam cum impoſitione manuum: qua in re Biblia ſequuntur Caſtalionis, qui ea verba D. Pauli 1. Tim. 4. *cum impoſitione manuum Presbyterij* reddidit *Senatus*; ſicut alibi pro *Eccleſia* dixit *Rempublicam*, quam vocem Lutherus, aliique Caluiniſtæ omnes in Bibliis ſuis Germanicis, & Belgicis, verterunt **die Gemeine** h. e. comunitas, ſiue reſpublica.

Cæterùm Senatus hic longè differt à Conſiſtorio, quod ibidem, & quale vnum in ſingulis oppidis eſt; congregatio nempe Prædicantium, & Seniorum, extraordinariè concurrens pro vitæ morumque cenſura, in qua, & coram quibus non auricularis, ſed publica facienda eſt peccatorum confeſsio. Inuentum Caluini, quo apud Ge-

neuenſes

neuenſes non pauci grauiſſimas ſæpe Magiſtratus ciuilis pænas incurrerunt,quas apud Catholicos confeſſi euadere potuiſſent. Vnde rariſsimos habent modò apud ſe confitentes. DD. Status conſiſtorij nomine,quod multis ſordet, ac vileſcit indies magis magiſque, deleto, titulum Senatus Eccleſiaſtici, vt video,aſſumunt. Eſt tamen, manetque idem, quod antè Conſiſtorium aliquod in ciuitate, & ſingulis vrbibus, cōpoſitum ex Prædicantibus, & Senioribus, qui ſunt omnis generis homines mechanici,Opifices,Mercatores, Nautæ,& Aurigæ. Talibus enim Eccleſiæ adminiſtratio, cura, & inſpectio vnà cum Prædicantibus committitur. Confundunt itaque Conſiſtoriū cum Eccleſiaſtico Senatu, ſicut & inſpectores cum Senioribus. In Palatinatu enim vbi diuerſa illa ſunt,vt dictum eſt, Inſpectores non ſunt homines de plebe, ſed vulgò Prædicantium eminentiores,tanquam decuriones,& Centuriones.

Sed ad rem. Falſum eſt, quod aiunt DD. Status §. 1. Similem quandam congeriem ex nautis,cauponibus, coquis, aliiſque de laicorum tribu hominibus, quantumuis honeſtiſsimis, ac optimis in Apoſtolica Eccleſia vnquam viſam fuiſſe, qui eam rexerint, vel regere iuuerint.Non hoc Laicorum eſt,non ouium,regere ouile; ſed in

ouili regi à Pastoribus, quales sunt Episcopi, & Presbyteri. Hanc ego consuetudinem in Apostolica & primitiua Ecclesia obseruatam, institutamq; inuenio. Ac primò de Episcopis: *Attendite*, inquit S. Paulus, *vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos, regere Ecclesiã Dei.* Act. 20. Sic in Tim. 3. ad Episcopum pertinere ait, *praeesse, & diligentiã habere Ecclesiæ Dei*, Itẽ vigilare, & prędicare 2. Tim. 4. *Tu verò*, inquit, *vigila in omnibus, labora, opus fac Euangelistæ, ministerium tuum imple.* Secundò de presbyteris idem loquitur Apostolus 1. Tim. 5. dicens: *Qui benè præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo, & doctrina.* Et hæç presbyterorum dignitas, & sacri muneris cum Episcopis portio, sat liquidè cognoscitur ex primo omnium Concilio, Hierosolymis habito, in quo congregati Apostoli, tãquã Episcopi, cũ Presbyteris ortam Antiochiæ seditionem compescuerũt, motamq; sustulerunt quæstionem, propter quã *statuerant vt ascenderẽt Paulus & Barnabas, & quidã alij ex aliis ad Apostolos, & Presbyteros in Ierusalẽ*, Act. 15. vbi in fine capitis additur: *Perambulat autẽ* (Paulus scilicet) *Syriã, & Ciliciam, confirmans Ecclesias, præcipiens custodire Præcepta Apostolorum, & Presbyterorum.*

Sunt autem Presbyteri, vt videmus, Episcopis vno gradu inferiores, quos primũ, ac initio ipsimet ordinauerũt Apostoli; post

Apoſtolos verò nō niſi Epiſcopi. Sic enim Act. 14. legimus: *Et cum cōſtituiſſent* (ſcilicet Apoſtoli Barnabas, & Paulus, verſ. 13.) *illis per ſingulas Eccleſias presbyteros*, &c. Tito verò Epiſcopo Cretenſi, quem ordinauit D. Paulus, *Huius rei*, inquit, *gratiâ reliqui te Cretæ, vt ea quæ deſunt corrigas & conſtituas per ciuitates Presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi.* ad Tit. 1. Et vt in iis ordinandis cautè agat, ac circumſpectè, monet idē Paulus ſuum Timotheum, Epiſcopum Epheſinum, dicendo: *Manus citò nemini impoſueris.* 1. Tim. 5.

Atqui Epiſcopi, ſiue Inſpectores, vt appellā: DD. Status, itē Presbyteri, & Seniores ſunt ne ijdē? *Reſp.* trāslatione vocū, non poteſtate ordinis, & officij, nomine, nō re. Epiſcopi enim, & Presbyteri perſonę ſacrę sūt, ad Eccleſię miniſteriū deputatę, ab aliis hominib. ſegregatę in opus, ad quod Spiritus S. eas aſsūpſit. Act. 13. Ideoq́, ſerui ſunt Ieſu Chriſti, & diſpēſatores myſteriorū Dei 1. Cor. 4. nō implicati negotiis ſæcularib. 1. Tim. 2. ſed ad docēdū vocati. *Oportet*, inquit Apoſtol. *Epiſcopū eſſe doctorē*, 1. Tim. 3. ꝙ & de Presbyteris inſinuat, 1. Tim. 5. quādo de iis loquēs: *qui* inquit, *laborāt in verbo, & doctrina.* Ad ꝙ ſacrū munus & vocationē ſuā ordināntur *cū impoſitiōe manuū Presbyterij.* 1. Tim. 4. At verò quos DD. Status ꝑficiūt ſuis Eccleſiis inſpectores, cōſtituūtq́; ſeniores, ho-

mines ſui generis ſunt, profani, laici, opifices, nautæ, ſartores, ſutores, barbitonſores, coqui, piſtores, & ſupremi inter eos ordinis Mercatores; omnes ſæcularibus negotiis dediti, atque immerſi. Qua de cauſa non miror Caſtalionem pro Eccleſia, quam apud ſuos vidit homines, dixiſſe Rempublicam. Sed tamen ſtupeo effrontem hominis audaciam, quâ vſus eſt in Bibliis peruertendis. Quæ enim in iis legitur Chriſti Eccleſia, ea regnum eſt, non Reſpublica; Principatus, non communitas; in qua non multi, ſed vnus gregis Apoſtolici ſupereminet Paſtor, *ſeruus fidelis & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam*, Matt. 24.

✠✠✠✠✠
✠✠✠
✠

CAP.

CAP. X.

DE DIACONIS, VEL Eleëmosynarijs.

I.

QVandoquidem pauperes summoperè nobis à Domino Christo commendati sunt, ideoqúe debita eorum prouisio, & cura suscipi debet, nec decens est, vt prædicantes verbum Dei derelinquant, & mensis ministrent, quos assiduè orationi, & ministerio verbi instantes esse oportet; æquum est, imò necessarium certas ad hoc munus constituere personas.

II.

Itaque in iis nominandis, eligendis, & vocandis, eodem procedetur ordine, ac modo, quo suprà de Senioribus; hoc addito, quod Diaconi ministrantes suum vnà cum Prædicantibus votum in eligendis aliis sint habituri.

III.

In pagis æditui eligentur constituenturq́; à Tribunis, aliisue, id ius habentibus, si tales ad cœnam, vel auditum verbi veniant, & quidem coram Prædicante, aliâs coram Nobilibus, & Prædicante, adhibitis nonnullis spectabilioribus rusticis, profitentibus reformatam religionē, & in eadem parochia residentibus; idqúe sine vllo alterius præiudicio, coram quibus æditui etiam quotannis tenebuntur debito tempore suas reddere ratio-

re rationes: Eritq; eorum munus templum, & turrim, cum appertinentijs, necnon cæmiterium conseruare in integro, vtq; bene reparentur foris, & intus, & à sordibus purgentur, imprimis templum intrinsecus, eiq; de scamnis, tabulis, alijsque ministerio verbi & Sacramentorum necessarijs, prouidere.

IV.

Diaconorum, siue Eleëmosynariorum munus erit, Eleëmosynas diligenter colligere, easq; fideliter pro necessitate indigentium, & facultate mediorum cum communi consilio distribuere, &c. qui tenebuntur quot annis semel pro locorum conditione, rationem reddere suæ administrationis coram senatu Ecclesiastico, apertis ianuis, sub præsidio Magistratus, accessum præbentes quibuslibet interesse cupientibus, eo tempore & hora, quam Magistratus cum Senatu Ecclesiastico tunc designabit.

V.

Vbi multæ pauperum largitiones, Pauperum capsæ, S. Spiritus, similesq; pauperũ fundationes, & distributiones sunt, ordinabitur à Magistratu eius loci, vt vnus, pluresue spectabiles, probi, & intelligentes viri constituantur tanquam Archieleëmosynarij, qui à Diaconis, aliisúe S. Spiritus magistris, de pauperibus, qui eiusmodi distributiones percipiunt, informabuntur, ad euitandum fraudem, & inæqualitatem, ne pauperum alij nimis abundent alij contrà nimis egeant: & vt piorum hominum fundationes in legitimos, debitosq; conuertantur vsus.

NOTA.

NOTA.

TItulus huius capitis est de Diaconis, quibus in eodem paulò post ædiles quoque admiſcentur, & Hoſpitalium magiſtri. DD. Status enim ſupra omnes leges, nullũ ſibi in dictis factisq́; ſuis ſeruandum exiſtimant ordinem, ſiue methodum. Errant hîc autem non minùs enormiter de Diaconis, quibus Eleemoſynarum curam ita adſcribunt propriam, quaſi formale & abſolutum ſit hoc ipſorum munus, vt reciprocè & indifferenter Diaconi ſiue Eleemoſynarij dici debeant, quàm ſuprà de Epiſcopis, & Presbyteris, quos de plebe ſpeculatores fecerunt & rectores Eccleſiæ. Diaconi enim in ordine ſuo ſimiliter Eccleſiæ miniſtri ſacri ſunt, *habentes*, (vt inquit, D. Paulus. 1. Tim. 3.) *myſterium fidei in conſciẽtia pura*: qui antequam *miniſtrent*, oportet vt *probentur primum*, ibid. At quale hoc ipſorum miniſterium? habere curam viduarum, pauperũq́; Eccleſiæ. Act. 6. Hanc ſolã? Nequaquam: ſed hanc tanquam vnam ex minimis. Stephanũ enim, quẽ loco citato in Diaconũ ordinaũ eſſe cõſtat, inſignẽ doctorẽ & prędicatorẽ verbi fuiſſe, habita Hieroſolymis illius, cũ Libertinis, Cyrenẽſibus, Alexandrinis, aliiſq́; à Cilicia & Aſia diſputatio, Ibid.

Item-

Itemq; cap. sequente 7. ad populũ, & Principes Iudæorum concio, satis liquidè demonstrant. Philippus similiter ex eodem ordine ac numero, verbi diuini Præco fuit atque interpres. *Euangelizabat* enim *ciuitatibus cunctis*. Act. 8. Item: *Aperiens Philippus os suum, & incipiens à Scriptura ista, Euangelizauit illi* (Eunucho) *Iesum* ibid. Deinde ministrasse Apostolicos primitiuæ Ecclesię Diaconos Sacramentum Baptismi, euidenter ad oculum docet exemplum eiusdem Philippi, de quo textus ibidem, *Iussit*, inquit, *stare currum Eunuchi, & descenderunt vterq; in aquam Philippus & Eunuchus, & baptizauit eum*. ibid.

Ecce quales fuerint Diaconi, quos nobis proponit & commendat S. Scriptura, quos elegit Ecclesia primæua, quosq; ordinauerunt ipsimet Apostoli, sacris adhibitis tum precibus, tum ceremoniis. Enumeratis enim ordine Diaconis istis: *Hos statuerunt*, inquit B. Lucas, *ante conspectum Apostolorum: & orantes imposuerunt eis manus*. Act. 6. At verò quos DD. Status constituunt, ordinantque sine omni ritu suarum Ecclesiarum Diaconos, idiotæ sunt, homines laici, plebæi, opifices, fabri, longè vilioris adhuc suis Senioribus, & inspectoribus, conditionis.

Cæterùm

Cæterùm ædiles suos vt forment, atque reforment ad libitum; itemque Nosocomijs, & Xenodochiis vt leges præscribant, dat veniam nota.

CAP. XI.

DE ECCLESIASTICIS CONGREGATIONIBUS, & Conuentibus.

I.

IN quantum necesse est, vt negotia Ecclesiæ per legitimos ac ordinarios conuentus transigantur, ipsiq; tum Prædicantes, tum vulgaria Ecclesiæ membra in bona pace, & officio suo contineantur, concluditur, vt quælibet vrbs Diœcesis Vltraiectinæ suum habeat deinceps Senatum Ecclesiasticum, consistentem ex Prædicantibus, & Senioribus vocatis, institutis, & qualificatis, vt dictum suprà; qui Senatus poterit congregari toties, quoties necessitas id postulabit.

II.

Ad has congregationes licebit etiam conuocare, quando sic volet Senatus Ecclesiasticus ob caussas maximi momenti, Seniores veteres, h. e. qui anno elapso, officio suo defuncti sunt; imò etiamsi necesse est, & prædicto Senatui sic videtur, ipsos Diaconos. Poterit etiam Magistratus istorum

istorum respectiuè locorum, si illi placet, vnum & alterum de suis eidem Senatui, vt aßistant, deqúe propositis negotijs cum illo deliberent, adiungere.

III.

In hac congregatione Pastor, vel Prædicans eius loci, si vnus tantum fuerit, (alias omnes & singuli vicibus suis) præsidebit, oratione eam auspicabitur & finiet, tractanda proponet, vota colliget, totumq́; actum diriget, & moderabitur.

IV.

In congregatione hac, & alijs, nihil nisi quod Ecclesiasticum fuerit, tractabitur.

V.

Tractata, & resoluta, siue acta, & conclusa, & quorum memoria posteris vsui esse potest temporibus, protocollo in Camera Ecclesiæ asseruando, ab aliquo Prædicantum inscribentur.

VI.

Loco claßicalium congregationum, quæ alibi in vsu sunt, singulis mensibus secundum consuetudinem huius Prouinciæ, in ciuitate Vltraiectina, in Ecclesiæ Conclaui, vel vbi nobis videbitur, congregationes celebrabuntur, &c.

VII.

Ad has congregationes poterimus nos etiam Deputatos nostros reformatæ religionis mittere; & volumus, vt in omnibus casibus Commissarij Synodi

nodi cum ordinariis deputatis nostris mutuam inter se foueant, alantq; concordiam.

VIII.

Iisdem Commissarijs Synodi etiam extraordinariè licebit conuenire, postulante id necessitate.

IX.

Et quoties exiget necessitas, vt Synodus Prouincialis cogatur, Commissarij Synodi id nobis significabunt, adiectis rationibus, ob quas eam necessariam existimant, punctisq; de quibus erit tractandum, nec non suis de eisdem opinionibus; vt de his omnibus ab ordinariis nostris Deputatis visis, ponderatis, & ad nos relatis, statuatur à nobis quod videbitur ad Synodi indictionem, prorogationem, aliaq; illi annexa, à nobis resoluenda, & ordinanda, spectare.

X.

Et quando placebit nobis Synodum Prouincialem indicere, vel mandare à nostris ordinariis deputatis indici, & conuocari, tunc omnes Prædicantes, & verbi Ministri huius prouinciæ tenebuntur in ea personaliter comparêre, habebuntqúe omnes & singuli, nemine excepto, suum in dicendo votum.

XI.

Ad hanc Synodalem congregationem ex parte nostra, conueniēt etiā omnes Commissarij, publicè profitentes reformatam religionem, ij quos ad eā ablegare iudicabimus opus esse, sub quorū præsidio

inspectio-

inspectione, authoritate, & moderatione talis congregatio celebrabitur.

XII.

Hac Synodali congregatione iam sedente, & ianuâ ad eam nostris Commissariis patefactâ, tres eligentur ex Prædicantibus ibidem præsentibus, secundum votorum pluralitatem, & ad placitum, consensumq́; nostrorum Commissariorum, nimirum, 1. Præses, 2. Assessor, 3. Scriba, vel Secretarius.

XIII.

In hac Synodali congregatione duo à duobus verbi ministris habebuntur ex Scripturis sermones, vnus in principio, & alter in fine congregationis; & intendent vterque dicendo, commonstrare, qualiter eiusmodi congregatio fieri & celebrari debeat.

XIV.

Puncta, ob quæ Synodus congreganda, à nobis, nostrisuè Commissariis conscripta, & transmissa ad singulos verbi ministros; (si qua mittere nobis bonum videbitur) aut quæ à nostris Commissariis oretenus, vel in scriptis, nomine nostro proponentur, ea primò omnium tractabuntur. Post hæc verò ea quæ ipsi Commissarij Synodi suorum sollicitantium nomine, vel aliàs, in medium proferent. Et tandem singulis, ac singulis Synodalis congregationis membris, libertas concedetur & venia,

proponendi

proponendi id quod volent, vel ratione suæ Ecclesiæ, vel etiam priuatæ suæ personæ, &c.

XV.

In hac Synodica congregatione nominabitur numerus Principaliorum Prædicantium tam ciuitatis, & oppidorum. quàm pagorum duplo maior, numero Commissariorum Synodi, qui nobis, nostrisúe ordinariis Deputatis proponentur (vel præsentabuntur) vt an seniores inter eos ex toto, vel ex parte, continuent, aut verò noui eligantur, diiudicetur à nobis, quod ad maiorem ædificationem, pacemq́; Ecclesiæ & Reip. facere videbitur. Quorum officium erit, omnes incidentes casus, & negotia Ecclesiæ, præter ea quæ hic exprimuntur, expedire.

XVI.

Cynosura congregationis erit, vt doctrina veritatis, quæ secundum pietatem est, in sua puritate conseruetur ac propagetur; pax, & concordia in Ecclesia, & inter fratres foueatur; scandala, & offendicula tollantur; Timor Domini, debitaq́; Magistratui obedientia obseruentur: in quem finem etiam volumus, vt Biblia semper in ipsa congregatione ad manus sint, vtq́; omnes deliberationes, & resolutiones secundum ea dirigantur.

XVII.

Hæc congregatio finietur præuiis censuris ferendis de omnibus Prædicantibus, isthic præsentibus; tam ad laudem & honorem istorum, qui in

ea sese bene gesserint: quàm etiam ad fraternam correptionem horum, qui indecentibus loquendi vel agendi modis fortè exorbitauerint.

NOTA.

PRoponitur nobis in hoc Capitulo idea quædã, & forma totius huius Synodi, & aliarum deinceps congregandarum. Vbi videmus DD. Status esse, qui Synodum indicunt, Prædicantes ad eam conuocant, controuersa inter eos decidũt, dubia soluunt, omniaque in eâ, suâ, suorũué Legatorum, prout ipsis videtur, authoritate moderantur. Et hæc omnia faciunt iuxta Biblia, in mensa congregationis reposita, & semper reponenda.

Quod si verum est, facilè colligere est, Dominos Status, qui non veterem, sed reformatam, ac nouam profitentur religionem, noua quoq; oportere habere Biblia, in quibus ista omnia, quæ hic, & passim per totam Synodum ab ipsis vbique dicuntur secundum verbum Dei, verbum Dei, verbum Dei, inueniantur scripta. In nostris enim ne similia quidem legũtur, imò apertè contraria; nempe non vni alicui Regi, vel sæculari Principi, sed *S. Petro*, *Apostolorum primo* Matth. 10. à Christo dictum esse: *Pasce Agnos, & oues meas*. Ioan. 21. Item SS. Apostolorum

postolos, non ciuiles Status cum potestate missos ad docendū, & baptizandum, Matt. 28. SS. Apostolos, & Presbyteros, Synodū primam, tanquam regulā, & mensuram posteriorum, conuocasse, instituisse, celebrasse, finiuisse, omnesq; eius muneris partes perfecisse. Act. 15. S. Paulum vocatum Iesu Christi seruum, in omnibus iis quæ Ecclesiæ sunt, apud Corinthios disponere voluisse. 1. Cor. 11. Episcopos à Spiritu S. ad hoc positos esse, vt regant Ecclesiam Dei Act. 20. Presbyteros, vt bene præsint, 1. Tim. 5. Pastores, & Doctores in opus ministerij, ne circumferamur omni vento doctrinæ Eph. 4. Et hunc Apostolicæ Ecclesiæ ordinem, quem annos sesqui mille in orbe Christiano continuè obseruatum confirmat experientia, deinceps perseueraturum ad consummationem Sanctorum, S. Apostolus Paulus in Spiritu Dei nobis prædixit, ibidem.

Cæteris verò omnibus nō Ecclesiasticis, nō pastoribus, non ad docendū, aut prędicādum vocatis, in Catholicorū Bibliis dicitur: *obedite Præpositis vestris, & subiacete eis*, Heb. 13. nō imperate, nō præsidete. Ideoq; vt distinctus vocationū, ac Statuū tū sacrorū, tū ciuilium, in hoc sæculo seruetur ordo, hortatur, & monet idē Apost. 1. Cor. 7.

Vnumquemque, inquit, *sicut vocauit Deus, ita ambulet, sicut in omnibus Ecclesiis doceo.* Item: *Vnusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat*, ibid. Vtinam D D. Status se nouissent, & animaduerterent se vltra crepidam, supraque malleum loqui.

CAP. XII.

DE ECCLESIASTICA DISCIPLINA, vulgò Cleri dicta.

I.

* Apostolis loquitur Christus, eorumque Successoribus accommodari potest non pseudoprædicātibus.

QVandoquidem * *Prædicantes sal terræ sunt, & Christus Saluator noster quærit,* quod si sal euanuerit, in quo salietur? *ante omnia opus est, vt disciplina Ecclesiastica, Cleri appellari solita, solos Pastores, & Prædicantes concernens, vigeat, & benè consideretur, &c.*

II.

Attendent itaque Prædicantes, & verbi ministri doctorinæ, inq; eâ constanter hærebunt, scientes à quo eam didicerint, nimirum ex S. Scriptura, diuinitus inspirata.

III.

Inprimis legent sæpè, sibiq; omninò familiares reddent (præsertim qui ad ministerium Euangelij recens vocati, & ætate adhuc iuuenes sunt) epistolas S. Apostoli Pauli ad Timotheum, & Titum,

rum; inculcantes sibi benè canones, ac regulas, quas Spiritus S. istic, & alibi præscripsit; quarum aliquas nobis visum fuit hic ob oculos ponere.

IV.

Igitur Prædicantes benè attendent sibi, & vniuerso gregi super quem Spiritus S. eos posuit * inspectores, eum pascentes, & prouidentes non coactè, sed spontaneè, neque turpis lucri gratiâ, sed voluntariè; neque vt dominantes * populo sibi concredito, sed tanquam gregis forma facti.

* Episcopos habet cum græco latinus textus omnium omnirō bibliorum, etiā Caluini.

* in Clero, vel Clerus, legunt præter græcum & latinū textum bibliorum, etiā Caluinus, & Beza.

V.

Operam dabunt, vt sint irreprehensibiles, non vini vel cereuisiæ bibosi, non turpis lucri sectatores, non pecuniarum auari, non bilingues, non pertinaciter sibi complacentes, non iracundi, sed vigiles, sobrij, modesti, prudentes, iusti, temperantes, constantes, bonos amantes, hospitales, & mysteria fidei tenentes in pura conscientia.

VI.

Vt tanquam œconomi Dei suam ipsorum familiam, & liberos bene regant, diligentiam adhibentes, vt fideles sint & obedientes, habentes fœminas fidas, non criminatrices, quæ domum custodiant, suisq; maritis morigeræ sint, pudicæ, & modestæ, ne verbum Dei blasphemetur, &c.

VII.

Vt in vestitu honestati studeant, non pomposè

ornantes se ad modum sæculi, &c.

VIII.

Vnusquisque Prædicans tenebitur domicilium suum habere arctè iunctum Parochiæ suæ, seseq; quantum ferre poßint occupationes aliæ, domi continebit, attendens lectioni, exhortationi, & doctrinæ, non negligens gratiam Dei, quæ in ipso est, sed eam excitans, vt profectus suus manifestus fiat omnibus.

IX.

Qui ætate iuuenes ad ministerium vocati sunt, ita sese gerent, ne quis ipsorum adolescentiā contemnat, in quem finem iuuenilia desideria fugient, præsertim iam proci, & ambientes statum coniugalem.

X.

Tandem vt cogitent se milites Iesu Christi esse, ideoq; non posse implicare se negotiis sæcularibus, quantum ad victum acquirendum attinet, sed vt sese occupent in vocatione sua ad cōplacendum illi, qui ipsos ad militiam elegit, in omnibus seipsos præbentes exemplum bonorum in doctrina, in integritate, in grauitate, sanis sermonibus, qui irreprehensibiles sint, vt qui ex aduerso sunt, vereantur, nihil habentes malum dicere de eis.

XI.

Ad quæ omnia faciliùs perficienda, Prædicantes, & Seniores sese mutuò obseruabunt, bonoq; exemplo alius alium præibunt, inq; charitate, fa-

miliari-

miliaritate, benignitate, ad sedulam considerationem suorum respectiuè officiorum, nec non ad frugi vitam fideliter admonebunt & excitabũt, in hunc finem suorum Seniorum censuras in omni modestia, & comitate, sine fictione exercẽtes.

XII.

Ad obuiandam quantum possibile est omnibus subrependi modis, nulli Prædicanti *licebit in locis vacantibus fungi ministerio, inq; eis sua vẽditare dicendi dona, sine scitu, & consensu* De*putatorum Synodi.*

XIII.

Nemo etiam sese promouebit absque consensu Commissariorum *Synodi, vt locum suum* Præ*dicatione vacuum relinquat.*

XIV.

Omnes pagorum Prædicantes, *à* Commissariis *Synodi vocati, faciles se præbebunt ad comparẽdum quò citabuntur, vt ibidem coram populo, & prædictis* Commissariis *aliquas faciant* Prædi*cationes, & quidem in præsentia nostra, nostrorumuè* Commissariorum, *si ipsis adlubescat talibus interesse.*

XVI.

Excurrent *etiam nonnunquam* Commissa*rij Synodi ad hoc à suis* Condeputatis *grauati, cum præuio scitu nostro, ad pagos, vt ibidem* Prædicantes *in prædicatione sua ex improuiso subauscultent, deque eorum vita,*

& profectu, vt prædictis Deputatis Synodi referant, benè sese informabunt.

XVI.

Nullus Prædicantum conabitur intra vel extra hanc Prouinciam vllum librum siue à se, siue ab alio compositum, vel translatum, in lucem edere, vel edi facere, sine consilio Commissariorum Synodi, & consensu nostro, nostrorumúe ordinariorum Deputatorum.

XVII.

Ad coërcendam curiosam nonnullorum arrogantiam, qui particulares suorum Præceptorum, vel etiam suas proprias opiniones, vllo tempore ausint populo venditare pro vera doctrina Ecclesiarum reformatarum; idq; faciendo damnosas nouitates in Ecclesiis & Politia progenerare, visum est, vt omnes Prædicantes sollicitè inhæreant expresso verbo Dei, & concordiæ regulis, initio à nobis præscriptis; cauentes ne eiusmodi controuersias in suggestum afferant: ita tamen vt libera maneat veritatis inquisitio secundum verbum Dei, &c.

XVIII.

Si quando verbi minister aliquis de quodam puncto doctrinæ, vel ordinaria eius explicatione, hæsitaret, dubitans an de eo scripturæ conformiter in his Ecclesiis doceatur, is dubium suum vni ex Symmystis suis, vel Commissariis Synodi, vel ipsi Synodo Prouinciali, prout ipsi videbitur consultius, aperiet, vt videat, num sibi scrupulum tollere,

tollere, & dubiæ quæstioni satisfacere poßint.

XIX.

Nemo ob eam mentis suæ patefactionem suspectus, aut in minori quã antè habebitur pretio, sed potius collaudabitur de sollicitudine, & diligentia, quam ostendit in promouenda veritate, quæ secundum pietatẽ est, bene attendẽdo, ne dubium hoc suum, antequam Symmystam suum plenè audiuerit, nostrumq́; consequentem ordinẽ de eo debitè prosecutus fuerit, disseminet, neue sua intentio honori Dei, veræ pietati, & bonis moribus officiat.

XX.

Ministri verbi, vel Deputati Synodi, quibus dubium tale proponitur, pia consideratione illud ipsum expendent, periculum facientes, an ita se mutuò instruere poßint, vt proponens ab omni sua hæsitatione liberari & securus reddi poßit.

XX.

Sin minùs, & is qui difficultatem mouit causam existimat adeò grauem esse, vt maturius examen requirat, deuoluetur illa ad nos, nostrosúe Deputatos, qui omnes simul coniunctis manibus conferent, quomodò, & qua ratione ea commodè pertractetur; vel deferetur ea ad proximè instantem Synodum, vt ibi ponderetur exactiùs: intereà temporis apud nos, nostrosúe Ordinarios Deputatos ordinabitur, vt eiusmodi disputationes ab vtraque parte procul à suggestu, & extra notitiam plebis habeantur, ad euitandum o-

mnem discordiam, & scißionem in Ecclesiis, & Politia.

XXII.

Qui aliter faxit, & turbauerit Ecclesiam, tam hic qui eiusmodi dubia sua, non hoc seruato ordine, in suggestum afferat, interq; vulgus spargat, quàm ille, qui legitimâ patefactione alterius sui Symmystæ dubia intellecta è suggestu ventilet, ac refutet; is præmißâ seriâ admonitione vt desistat, & corrigat datum scandalum, adhuc pertinax, & inobediens, à Senatu Ecclesiastico, cum consensu Magistratus loci eius, vbi factum contigerit, vel à Commissariis Synodi, cum consensu nostro, nostrorumué Deputatorum, ab officio suo suspendetur, vel etiam actualiter deportabitur pro conditione caussæ.

XXIII.

Eiusmodi verò perplexitate iuxta prædictum ordinem ad Synodalem congregationem delatâ, & cognitâ eius esse momenti, vt illi attendere oporteat, quàm primum laborabitur, vt caußâ talis absque violentis mediis, ad vitandum scandalum, moderatè componatur.

XXIV.

Quod si verò illa grauior sit, quàm vt tã subitò expediatur, maioriq; egeat consideratione, prouisionale aliquod pacis & concordiæ seruandæ medium eruetur, quod sequi tenebitur pars vtraq;, sub pœna, vt suprà, vsq; dum meliorem suggerat Dominus solutionem, & veritatis notitiam, ad quam etiam commodæ viæ inibuntur.

Si quis

XXV.

Si quis de Prædicantibus in vita exorbitando; eiusmodi delictorum aliquod committeret, quæ in ministerio Euangelij intolerabilia sunt, & quemlibet etiam coram mundo reddunt infamem, is conuictus, ab officio suo actu suspendetur, & pòst simul deportabitur; si non pro eo satisfacere paratus sit, vt datum amoueat scandalum, vel si tam grande fuerit, vt cum ædificatione non possit ministerio Euangelij vacare diutius.

XXVI.

Pœna hæc locum habebit in aliis quoq; delictis, minùs enormibus, scandalosis tamen, & ad calumniam personæ, vel Euangelij tendentibus, si author bis, teruè, à Senatu Ecclesiastico (in vrbibus) vel à Deputatis Synodi (in pagis) admonitus, renuat ab iis abstinere, & debitè satisfacere.

XXVII.

In vtroque etiam casu, vrgente sic necessitate, propter perseuerantem contumaciam, debitis gradibus procedetur aduersus eiusmodi ministrũ ad excommunicationem.

XXVIII.

Iudicium hoc de debita satisfactione in eiusmodi casibus stabit in ciuitate, & vrbibus penes Senatum Ecclesiasticum, sub præsidio aliquorum Commissariorum Magistratus, & Synodi, & in pagis penes Deputatos Synodi.

In

XXIX.

In his omnibus nihil fiet in pagis, quantum ad dilationem, suspensionem, Excommunicationẽ, & publicam satisfactionem attinet, sine prævia notitiâ, & consensu eorum, de quibus suprà.

XXX.

Ad eundem modum exercebuntur hæ censuræ aduersus Seniores, & Diaconos, quando in similibus deliquerint, parq; extiterit scandalum.

XXXI.

Aduersus Prædicantem, Seniorem, vel Diaconum accusatio nulla recipietur, nisi sub duobus, aut tribus testibus.

NOTA.

TAndem DD. Status plenis saccis non pipere, sed theologia, suā totaliter effundunt depromuntque scientiam in diuinis, eamque pro discipulorum capacitate, & qualitate supremam, ac secretissimam. Quandoquidem enim Capitulo præsente non quosuis de plebe, vel cœtu Ecclesiastico erudire volunt & instruere; sed Diaconos, Seniores, Prædicantes, ipsosque Superintendentes, seu Inspectores, non secùs quàm S. Apostolus Paulus Timotheum & Titum, Episcopos, ideò selectas aliquas ex illius ad istos epistolis regulas suis Prædicantibus,

cantibus,& verbi ministris hic præscribũt & inculcant. *Sapientiam* enim, vt idem Apostolus ait, *loquimur inter perfectos*, 1. Cor. 2.

Ante omnia verò DD. Status suis Prædicantibus id ob oculos positum esse volunt, & memoriæ tenaciter inhærere, vt sciant à quo doctrinam suam hauserint, didicerintuè. Certè notatu hoc dignum. Idẽ monet S. Apostolus suum Timotheum. Neque id gratis dicitur, aut frustrà. Quia enim *fides ex auditu est*, vt docuit ad Rom. cap. 10. dicens: *Quomodo inuocabunt, in quẽ non crediderunt? Quomodò credent ei, quem nõ audierunt? quomodò autem audient sine Prædicante? quomodò verò prædicabunt, nisi mittantur?* hinc necessariò efficitur, credentium vnumquemque fidei suæ notitiam, & credendorum summam ad certum aliquem referre oportere magistrum, & præceptorem, quo Prædicante eam didicerit. Et Scripturæ exemplo confirmatur Apostolicæ huius traditionis veritas. Sapientissimus enim Reginæ Æthiopum Eunuchus, in curru suo legens Biblia, interrogatusq; à Philippo Diacono: *Putasnè intelligis quæ legis?* suam non modò ignorantiam fateri debuit, sed & intelligendi Scripturam sine interprete impotentiam, in hæc verba respondens: *Et quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi?* Act. 8.

Iam

Iam de Timotheo facile est dicere ex eodem textu, 1. Tim.4. à quo ipse doctrinam suam supercælestem didicerit prædicatore. Nam pauló antè ibidem, S. Apostolus: *Tu autem*, inquit, *assecutus es meam doctrinam, institutionem, propositum, fidem*, &c. Et in 2. Epist. cap. 1. Postquam de se dixit: *In quo positus sum ego Prædicator, & Apostolus, & magister Gentium*, subiicit alloquēdo Timotheum: *Formam habe sanorum verborum, quæ à me audisti in fide*, &c. Vnde patet Timotheum fidei Christianæ mysteria a Prædicatore Paulo didicisse. Applicemus nunc Apostoli verbis verba Statuum. Attendent, inquiunt, Prædicantes & ministri doctrinæ, inque eâ constanter inhærebunt, scientes à quo eam didicerint.

Quis hinc non videt ex simili loquendi modo, & instituendi ratione, quæ in tota passim Synodo apparet, Prædicantes Vltraiectinos doctrinam suam accepisse à suis DD. Statibus, in quorum fidem, & verba, vt ex capitulo 1. patet, Prædicantes omnes & singulos, antequam ad ministerium admittuntur, credere, & iurare oportet. Qui itaque Prouinciæ Vltraiectinæ Status sunt, iidē & illius Apostoli esse volunt, de quibus homo curiosus similiter quærere posset, an sciant DD. Status, à quo ipsimet suam hauserint doctrinam, fidemque,

quam

quam suos docent Prædicantes, à quo Prædicante, & vnde misso, priùs didicerint?

Porrò inter varias Regulas, quas suis Prædicantibus ex epistolis Paulinis ad Timotheum & Titum præscribunt, ne vna quidem auditur, de cælibatu, de continentia, de castitate, cuius tamen S. Apostolus crebram facit in iisdem mentionem. Suo Timotheo: *Exemplum*, inquit, *esto fidelium in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate*. 1. Tim. 4. Et cap. 5. *Te ipsum*, inquit, *castum custodi*. Et ad Titum cap. 1. *Oportet*, inquit, *Episcopum esse sobrium, iustum, sanctũ, continentem*. Et quis hoc miratur? *Volo*, inquit, alibi Apostolus, ipse cælebs, castus, & continens, *omnes vos esse sicut me ipsum*. 1. Cor. 7. DD. Status mulieribus copulati, contrà hortantur, & optant, Prædicantes, suos discipulos, more, & exemplo suo, carnis contrahere & inire coniugia. Sed si vera sunt, quæ S. Paulus, pro causa istius voti sui dicit Corinthiis, quando ait: *Qui sine vxore est, sollicitus est, quæ Domini sunt, quomodò placeat Deo. Qui autem cum vxore est, sollicitus est, quæ sunt mundi, quomodò placeat vxori*: nõ malè argumentando aliquis concludet; Apostolicæ Ecclesiæ Prædicatores sollicitos esse, quæ sunt Domini, & quomodò placeant

ant Deo, quia cælibes, & sine vxoribus sunt: Contrà verò DD. Statuum Prædicātes sollicitos esse, quæ sunt mundi, & quomodò placeant vxoribus, quia coniugati, & cum vxoribus sunt.

Non dicam hoc loco, quā turpiter DD. Status S. Scripturam allegationibus suis in hoc Capitulo, & in totâ Synodo passim falsificent, & in quemcunque sensum suæ phantasiæ detorqueant: quia non ipsorum Synodum refutare, sed quædam in illâ, notatu digna, ruditer consignare mihi proposui. Non igitur silentio id præterire possum, quod in præsente capitulo DD. Status cupiunt omnium maximè ac diligentissimè à suis Prædicantibus obseruari, vt nempe ad se confugiant illi semper, quotiescunque quæstionis, & controuersiæ de Orthodoxæ fidei articulis, aliisque S. litterarum interpretationibus difficultas aliqua inter ipsos emergit; præsertim verò, quando res tanti momenti est, vt ministri verbi, vel Deputati Synodi illi non sufficiant, tunc iidem Domini Status volunt, vt causæ, dissidiique compositionem a se suisuè Deputatis, Prædicantes exspectent. §. 20. & 21. Ipsi enim, inquiunt, casu isto coniunctis manibus rem aggredientur ac despicient, quomodò in tuto collocetur. Crederem DD. Status posse, si nauis in portum

portum trahenda esset. Quæstionis verò eiusmodi grauitas coniunctis non manibus, sed capitibus; non corporis robore, sed spiritus intellectu discuti debet. Et quâ ratione, dubij eiusmodi nodum melius soluent DD. Status, quàm sui Prædicantes? Quis interim hinc non clarè videt Caluinisticos Prædicantes multò minùs de sua Theologia scire, & sapere, quam cæteri suæ gentis homines laici, professione mercatores, vel milites sui auditores, & discipuli, quorum verbi ministri sunt.

Porrò DD. Status cum suis Deputatis, ita altum sapiunt, vt si contingat illos in eiusmodi aliquo scrupulo hæsitare, & deficere in illo statim submouĕdo, & Prædicātibus eximendo, non nisi diuinitùs ab ipso Deo veritas & dubiæ quæstionis solutio, exspectari debeat §. 24. Quod enim DD. Status in Theologia nesciunt, quis hoc præter Altissimum scire, aut reuelare poterit? Quo casu tamen ipsis sapientia non deerit, disputantes, & contentiosos suos Prædicantes, in officio, bonâ pace, & silentio continendi, & coercendi. ibid. Postremò, à §. 25. vsque ad finem capituli, censuræ sequuntur & pœnæ, quas Prædicantes, imò etiam Presbyteri, quos Seniores appellant, & Diaconi, quos Eleëmosynarios, incurrĕt, si quādo in vita exorbita-

uerint adeò grauiter, vt vel ſuſpenſionem ab officio, vel relegationem, aut deportationem mereantur. Cæteris ipſorum peccatis leuioribus, quamuis ſemper mortaliter (vti Prædicantes ipſi de ſe loquuntur) peccent, hîc nullum iniicitur frænum, nullaque ſtatuitur pœna.

CAP. XIII.

DE CHRISTIANA DISCIPLINA Cœtus, ſeu Plebis.

I.

QVia vita Chriſtianorum paſſim deprauata eſt, eorum multis quidem ſpeciem pietatis habentibus, virtutem autem eius abnegantibus; ſeria eſt voluntas noſtra, vt ſecundum regulam Chriſti, & dilectorum eius Apoſtolorum, ſupra, & præter publicas admonitiones, à Prædicantibus fieri ſolitas, in vſum trahatur Chriſtiana Eccleſiæ diſciplina, conſiſtens in particularibus, admonitionibus, caſtigationibus, & ſpiritualibus pœnis eorum, qui eas merentur.

II.

Itaque ſententia noſtra eſt, prout debemus non aliquorum tantum, ſed omnium omninò ſubditorum noſtrorum ſupremam promouere pro viribus

viribus salutem; Quod Prædicantes laborabunt, quantum in ipsis est, vt, iuxta voluntatem Dei, omnes *poßint* salui fieri, & ad agnitionem veritatis venire.

III.

Captabunt igitur fidi animarum Curatores quascunque occasiones & opportunitates, eos omnes, qui vel alterius sunt religionis, vel dissolutæ vitæ, sicuti mundani homines, humanitùs & amicè conueniendi, instruendi, ac commonefaciendi eos communis sui cum Christianis nominis, vt ad auditum diuini verbi, veramq́ pietatem sese conuertant.

IV.

Inprimis volumus, vt hæc ipsorum inspectio extendat se quoque ad adolescentes pueros, vt & ipsi de accepto baptismo, factoq́ voto suo commonefiant: & maximè ad parentes, vt suos illi liberos in fundamentis Christianæ Religionis benè instrui curent; secum ad prædicationem, & communionem S. Cœnæ adducant; & piam porrò vitam in vera imitatione Iesu Christi viuant.

V.

Insuper illi ipsi, & quicunque ad verbi auditum, & inprimis ad cœnam Domini veniendo profitentur reformatam religionem, sæpè resuscitabunt, Christianisq́ ac suauibus admonitionibus in memoriam sibi refricabunt salutarē gratiam Dei, quæ ipsis apparuit, & omnibus hominibus, vt abnegantes impietatem, & secularia de-

sideria. sobriè, piè & iustè viuant in hoc sæculo, cauentes sibi non tantum ab enormibus, quæq; coram Deo abominabilia sunt, & coram mundo etiam infamant, peccatis, sed etiam ab alijs grauibus delictis, quamuis grauia non reputentur, vtpotè ab obtrectationibus, furtis, iracundiâ, criminationibus, turpitudine, scurrilitate, stultiloquiis, &c.

VI.

Sæpe etiam prædicabunt & meliori quaq; opportunitate inculcabunt subditis, eam, quam ipsi debent Magistratui; filij parentibus, & tutoribus; fœminæ maritis; famuli, & famulæ suis Dominis obedientiam: & vicißim quid Magistratus subditis, quid parentes liberis, &c. officij debeant.

VII.

Imprimis monebunt patres & matresfamilias, vt priuatas & domesticas preces apud liberos, & familiam suam instituant, diligenterq; frequentent.

VIII.

Si quando quis de reformata religione, punctum aliquod Christianæ fidei, citra quam non est salus, negaret, eiuè contradiceret; aut verò grauem aliquam concitaret turbam contra eam doctrinam, quæ secundum verbum Dei in Christiana Ecclesia docetur; aut etiam maledicus existeret criminator reformatæ Religionis; eiusuè Prædicantiũ: aut deniq; se contumaciter ab Eccle-

siæ se-

stæ societate separaret, suaq; separatione aliis præberet exemplum se imitandi, & consequenter ad schisma ianuam aperiret: is post acrem admonitionem, tam priuatam quam publicam, nomine Senatus Ecclesiastici, istic locorum, vbi talis est, coram illo, & vbi non est, coram suo Prædicante citabitur, facti sui rationem redditurus.

IX.

Quod si vocatus, venire detrectet, neque Senatum Ecclesiasticum recognoscat, prodet, traditq; talem Senatus Ecclesiasticus ciuili Magistratui, siue Consulibus, qui auctoritate suâ eiusmodi hominem refractarium compellant intrare.

X.

Et si tunc deprehensus fuerit errare ex ignorantia, paratus veritati cedere, & cauere ne alij suo exemplo scandalizentur, aut inquietentur, hæc ipsius declaratio istis, qui iam fortè inde perturbati & offensi sunt, manifestabitur ad tranquillandum eos: ipse verò, cum omni modestia arcendus à S. Cœna, tolerabitur; & intereà temporis bona adhibebuntur media meliùs illum ipsum instruendi.

XI.

Sin perseuerauerit pertinax propositi, primò quidem suppreßo nomine; Deinde verò expresso nomine, & cognomine suo, publicè notabitur, vt populus sibi ab illo caueat.

XII.

Quod si amicè admonitus, adhuc continuet peruicaciam, ad extremum excommunicabitur, vsq; dum manifestè agat pœnitentiam.

XIII.

Si quis de reformata religione in aliquo eorum, quæ peccantes à regno cælorum excludunt, expressa 1.Cor.5.*&* 6.*&* Gal.5.*& alibi exorbitauerit, is pro conditione caussæ à* Prædicante, *vel prædicantibus in quorum notitiam venit, vel etiam nomine Senatus* Ecclesiastici *compellabitur, & admonebitur de pænitentia, & satisfactione illi, in cuius fraudem, vel contumeliam deliquerit, præstanda, præter hoc quod tenebitur scandalum* Ecclesiæ *datum amouere, & corrigere tali pænitentiâ, & confeßione delicti, quam ipsi Senatus* Ecclesiasticus *impositurus est.*

XIV.

Hæc obseruabuntur in causis & delictis, quæ ex confeßione delinquentium, vel alio modo publica sunt, & notoria.

XV.

Quod si delictum occultum sit, & reus conscientiæ dictamine ad confeßionem facti adduci nequeat, conquiescet Senatus Ecclesiasticus, *sinetq; Magistratum, casu quo interessentes ad ipsum prouocent, causam agere, vel si factum neminem nisi reum concernet, committet illum*

Deo,

Deo, ſcrutatori cordium, & renum; ſiquidem de occultis non iudicat Eccleſia.

XVI.

Qui de eiuſmodi peccatis publicis, & manifeſtis, ſæpiùs admonitus, perſiſtit contumax, & obſtinatus illi omnium primò S. Cœna interdicetur; deinde perſeuerans in eâ duritie, ſecundum præceptum S. Apoſtoli coram cœtu notabitur, primò tacito nomine, Deinde cum nomine, vt pudefiat, ſeu confundatur.

XVII.

Quod ſi necdum miteſcat, procedetur tandem ad vltimum vſq; gradum Chriſtianæ diſciplinæ, qui eſt Excommunicatio.

XVIII.

In vrbibus, vbi non niſi vnus Prædicans eſt, ſimiliter in pagis, ſiue aliquis ibi fuerit Senatus Eccleſiaſticus, ſiue non, nemo ob aliquem lapſum, ſiue in fide, ſiue in moribus, arcebitur à S. Cœna. ſine præuio ſcitu, & conſenſu Commiſſariorum Synodi, niſi valdè inſignis eſſet ac ſcandaloſus, & Prædicanti otium deeſſet intereà temporis ad ipſos talem referendi. Quo caſu nihilominùs, poſtea Deputatos de eo certiores faciet.

XIX.

In his omnibus quæ ad exercitium Chriſtianæ diſciplinæ tum Prædicantes inter ſe, tum alios

spectant, diligens cura adhibebitur, vt charitas & compaßio cum peccatore lapso sic exerceantur, vt vnusquisq; animaduertat omnia spiritu mansuetudinis & benignitatis fieri, geriq;.

XX.

Nemo etiam in casu illo exorbitationis in fide, vel moribus vt supra, publicè & nominatim coram cœtu prostituetur, sine notitia Magistratus; nec etiam alibi, vbi non nisi vnus Prædicans est, sine scitu & consensu Commissariorum Synodi, & in pagis non sine notitia Deputatorum D D. Statuum & simul Commissariorum Synodi.

XXI.

Similiter non procedetur ad gradum vltimū supra dictum, nisi in diuturna & obfirmata duricie, vel in admodum enormibus delictis, postquam iamdudum tolerata fuerunt, & cum notitia, vt ante.

XXII.

Nemo sit Prædicans, aut Senior, Diaconus, aut aliud vulgare Ecclesiæ membrum, per hanc disciplinam Ecclesiasticam exemptus erit à politiæ iuribus, vel pœnis.

NOTA.

CApitulum hoc superioris adhuc continuatio est, quò à DD. Statibus Prædicantes

dicantes erudiuntur, quomodò se erga Auditores suos gerere, interque eos disciplinam exercere debeant. Nolo in hisce seuerus esse Cato vt, vel qui dicunt, vel quæ dicuntur, scrupulosè nimis ac rigidè obseruem. Prædicãtes enim seu Ministri sunt homines laici, sicut & DD. Status, sui Superiores; eorumque iurisdictioni, & politiæ omninó subiecti. Deinde quales D D. Statibus, tales & mihi esse videntur, valdè imperiti, indocti, ac rudes S. litterarum, ita vt hac DD. Statuum, licet & ipsi non multò plus in Bibliis, aliisque libris viderint, institutione perquam digni sint. Mandent igitur, imperent, ac præscribant illis vitæ morumque regulas, suasque leges præuaricantes, vt merentur, castigent, incarcerent, suspendant, deportent. Omnia citra notam, aut censuram in sui verbi ministros ea poterunt, modò eorum nihil attentent potestate Apostolicâ, quam Dominus Christus non sæcularis imperij Principibus, aut Statibus; sed tantùm Catholicæ Ecclesiæ Pontificibus, & Episcopis communicauit.

CAP. XIV.

DE SCHOLIS, LVDIMAGIstris, & Custodibus.

QVandoquidem S. Apostolus Christianis mandat parentibus vt suos educent liberos in disciplina & correptione Domini, & in huiusce rei subsidium scholæ ordinatæ sunt, in quibus Christiana iuuentus non tantùm in bonis moribus, & scientiis, sed etiam, atque inprimis, in cognitione Dei, eiusque voluntatis instrui debet, vt non tantum ciuilem, verùm etiam Christianam viuat vitam, eoq; æternam per gratiam Dei assequatur salutem; Tempora verò præsentia adeo perdita sunt, ipsaq; iuuentus multitudine vitiosorum exemplorum ad tantam dissolutionem proiecta, vt ad eius educationem summoperè necesse sit attendere; Nos hinc deliberatis animis, & consiliis statuimus, ac ordinauimus, vt sequitur.

I.

Quòd Magistratus Ciuitatis, & oppidorum Diœcesis Vltraiectinæ singularem gerent curam, vt publicæ & triuiales scholæ suæ bonis Rectoribus, & præceptoribus, iuxta officium, & gradum, doctis, probis, & profitentibus reformatam religionem, administrentur.

II.

Rectores & Ludimagistri taliter instructi, & qualificati, vocabuntur & constituentur à respectiuè locorum Magistratibus. Qui

III.

Qui Magistratus vnà cum consilio Deputatorum Synodi, Rectoribus, & Ludimagistris suppeditabunt commodam instructionis formam, iuxta quam pro locorum conditione deseruient.

IV.

In hac instructione ad quatuor præcipuè attendetur, nempè vt iuuentus benè erudiatur ac educetur in cognitione & timore Dei: in obedientia suis Superioribus, Parentibus, Præceptoribus atque Magistris debitâ: in scientiis linguarum, & artium: ac denique in bonis moribus, virtutumq́ꝫ officiis.

V.

Ad educationem in cognitione, & timore Dei plurimùm faciet, vt pueri doceantur orare Deum manè & vesperi; ducantur diebus Dominicis, & festis, ad Ecclesiam; & instituantur in capitibus Christianæ fidei, & doctrinæ.

VI.

Obedientia Superioribus, Parentibus, Præceptoribus, atque Magistris præstanda, pueris inculcabitur bonis, seriisq́ꝫ admonitionibus, quauis opportunitate faciendis.

VII.

Fundamenta, & Regulæ artium, atque scientiarum docebuntur libris, & lectionibus ad eas vtilibus, quas Rectoribus, & Ludimagistris respectiuè Magistratus præscribent, eò vsqꝫ, donec à nobis Generalis ordo constituatur librorum, & Authorum pro scholis huius Prouinciæ. Ad

VIII.

Ad educationem in bonis moribus, ac virtutibus maximopere conferet, præter continuas monitiones, frequentesque exhortationes, disciplina scholastica, coniuncta cum aßidua quadam præceptorum inspectione, congruente cum illa, quam parentes habent domi.

IX.

Parochiarum Ludimagistri in ciuitate, & oppidis, vnà cum prælectoribus, & custodibus, vocabuntur à respectiuè Magistratibus, cum consilio Senatus Ecclesiastici: qui Ludimagistri tenebuntur suos discipulos præter artes legendi, scribendi, numerandi, &c. omni diligentia docere orationem Dominicam, Symbolum fidei, & Decalogum.

X.

Nulli autem vocabuntur alij, quàm viri probi honesti habentes bonum testimonium, & profitentes religionem reformatam.

XI.

Similiter etiam in pagis ordo constituetur, vt nulli vocentur quàm homines honesti, & vti modò dictum fuit.

XII.

In omnibus tùm triuialibus, tum parochialibus scholis, nec non iis quæ in pagis sunt, nulli tradentur

dentur libri, qui iuuentutem abalienare poßint à reformata religione.

XIII.

Nullæ, præter eas, scholæ accessoriæ neque in oppidis, neque in pagis tolerabuntur, nisi cum bona notitia, & ob graues causas, cumq́; præuio consensu Magistratus loci, & secundum eam regulam, informationemq́;, quæ ab illo præscribetur, cumq́; eâ conditione, vt Ludimagistri, & Magistræ sint honesti nominis, probæ vitæ, docendis & educandis pueris, idonei, nullos tractantes in iis scholis libros, qui reformatæ religioni præiudicium, aut detrimentum afferri poßint.

XIV.

Custodes, siue aditui constituentur vti de ædilibus suprà art. 3. *sub* Capitulo de Diaconis, *dictum fuit, eruntq́; qualificati vt art.* 10. & 11. de Ludimagistris *actum*; & *sequentur in suo officio, ministeriouè hanc ordinationem, eamq́; porro instructionem, quam qualemuè Nos, nostriuè ordinarij Deputati, cum consilio Commissariorum Synodi, ipsis suggeremus.*

Reseruantes nobis (POTESTATEM) hæc ipsa, prout res exigent, cum deliberatione, vt antè, ampliandi, corrigendi, mutandi, etiam

etiam interpretandi & declarandi si quid obscurè vel dubiè in iis dictum fortè reperiri posset.

Sic actum, & conclusum VLTRAIECTI, die 28. Augusti, Anno D. N. vnici Saluatoris, Iesu CHRISTI. M. DC. XII.

Infrà scriptum:

Ad ordinationem meorum celebrium DD. Statuum.

Et subsignatum:

G. de Ledenberg.

NOTA.

Transeat & hoc vltimum cum præcedẽtibus, vt DD. Status Vltraiectẽses, qui cũ ciuili, quod habẽt in duobus, vel tribus pascuis, regendi Dominio, sibi omnẽ potestatẽ existimant datã in cælo & in terra, vt, inquã, liberè, & ad suũ beneplacitũ constituant scholas, & scholarchas, cęterosq; omnes Ludimagistros, custodes, & æditous. Hoc enim restabat adhuc pro complemento in hac Synodo, in quâ, tanquam in speculo, vbique clarè videtur totus orbis, & ordo naturæ inuersus, vt etiam discipuli, si aliàs

aliàs vnquā ipſi ſcholas frequentârint, docerent, inſtruerentq́; præceptores, ac magiſtros; Ne quis cum vulgo dicat: *Sus Mineruam*. Conſtituant igitur in nomine Domini generalē aliquem vt §. 7. promittunt, librorum, & Authorum ordinem, pro ſcholis ſuæ Prouinciæ, earumq́ue Rectores, & Magiſtros artium præcepta, & regulas priùs benè erudiant, quas eos velint poſteà docere iuuentutem.

Cæterum quid de tota hac Synodo vnuſquiſq; ſentire debeat, D D. Status hoc ipſo liberū relinquunt, quòd ea, quæ in iſta dicta fuerunt, & pertractata, corrigendi & mutandi copiam ſibi reſeruāt. Quod ſi Spiritu S. inſpirati locuti fuiſſent, ipſumq́ue Dei verbum, ſicuti in Synodi principio, & paſſim ad finē centies & centies vbiq; crepāt, in eâ tradidiſſent, exceptione vel proteſtatione hac opus ipſis non fuiſſet, ſed contra obſtrepentibus & clamantibus anathema, h.e. temporalem mortē, & exiliū denunciare & infligere potuiſſent. An verò Synodi huius DD. Statuum decreta qualiacunq; etiam bona, nec reprehendenda, ſuorum Prędicantium conſcientias vllâ ratione obſtringant, dicam in appendice.

Ad extremum ſupereſt, vt verbo dicam de duabus S. Scripturæ ſententiis, quarum vna in fronte libelli, altera ad calcem, pro

clauſulâ

clausulâ adiecta est, quibus DD. Status in subditorum animis excitare student obedientiam, erga se, suaque huius Synodi leges, & statuta. Prior citatur ex 2. Chron. cap. 19. vers. 8. & 9. his verbis: *Etiam constituebat (Rex) Iosaphat Hierosolymis Leuitas & Sacerdotes, & ex summis Patribus in Israël super iudicium Domini, & supra causas, & permittebat eis habitare Hierosolymis, & præcipiebat eis, ac dicebat: Agite omnia in timore Domini fideliter, & corde sincero.* Verba in authentico latinorum Bibliorum textu paulò aliter habent nimirum: *In Ierusalem quoque constituit Iosaphat Leuitas, & Sacerdotes, & Principes familiarum ex Israël, vt iudicium & causam Domini iudicarent habitatoribus eius; Præcepitq; eis dicens: Sic agetis in timore Domini fideliter, & corde perfecto.* Posterior verò ex eiusdē libri cap. 8. vers. 15. his verbis: *Et non fuit recessum à mandatis Regis super Sacerdotes, & Leuitas, in qualibet re.* Verba authentici textus sic sonat: *Nec prætergreßi sunt de mandatis Regis tàm Sacerdotes, quàm Leuitæ, ex omnibus quæ præceperat,* &c.

Quoad prioris loci verba: *Constituit Iosaphat Leuitas & Sacerdotes* (reliqua enim ad iudices causam ciuilium, vnà constitutos, spectant) ex iis nihil eiusmodi conficitur quod temporalis Rex, vel Sæculares Status authoritatem habeant celebrandi

Synodos;

Synodos; leges Ecclesiasticas condendi; Sacerdotes,& Ecclesiæ ministros ordinandi; dies festos instituendi vel abolendi; præscribendi certa tempora, quibus cœna, vel Sacramenta administrari debeant. Nihil enim horum dicitur. Atqui constituit Rex Sacerdotes?

Respondeo itaque primò: allegatur non mandatum, sed speciale factum, & exemplum, quale nō habet apud Dialecticos necessariam aliquam vim concludendi.

Respondeo 2. Constituit Iosaphat non ordinariè, sed extra ordinem, tempore, quo res Ecclesiæ non parum turbatæ erant & afflictæ à Patre suo *Asa*, qui totus mutatus, & degener à priore pietate, *Prophetam Hanani*, diuinitùs se affantem, & ob id, quod habuisset fiduciam in rege Syriæ, & non in Domino Deo suo, increpantem, *iussit mitti in neruum, & interfecit de populo in tempore illo plurimos*. 2. Par. 16.

Respondeo 3. Explicando verbum, vel factum; *Constituit* Sacerdotes, & Leuitas, h. e. tales ad sacrorum vsum, ministeriumué admisit, vel promouit: non verò in Sacerdotali scientia & doctrina rerum diuinarū instituit, vel in Sacerdotes ordinauit, vnxit, consecrauit. Nulli enim hoc Regi, sed soli Aaroni, eiusque filijs, successoribus, in generatione suâ competebat. Leuit. 10. v. 8.

Quē diuinum ordinem,eiuſque à prophano diſcrimen Rex Ioſaphat hoc eodem capite nō modo agnoſcit, ſed & ſtabilit paulò poſt, verſ. 11. dicens: *Amarias autem Sacerdos, & Pontifex veſter, in his, quæ ad Deum pertinent. præſidebit: porrò Zabadias filius Iſmael, qui eſt dux in domo Iuda, ſuper ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent.* Si itaque ad Regis, vel ſæcularis poteſtatis officium pertineret, quod DD. Status perſuaſum habent, Sacerdotes & Leuitas docere, ordinare, ad S. Concilia vocare, & ad cætera omnia in quibus Deo inſeruiunt, applicare, ſolus Zabadias, remoto Amaria, hæc omnia præſtare debuiſſet. Ipſe enim ſuper ea opera erit, dicit ipſe Rex, quæ ad Regis officium pertinent: Amarias autem Sacerdos,& Pontifex, in iis quæ ad Deum pertinent, præſidebit. Vnde neceſſariò infertur præeſſe diuinis non pertinere ad vllam ſæcularem poteſtatem, quantumuis Regiam. Viderint nunc DD. Status quomodò ſibi aliquid etiam ſupra Reges arrogent, vel vſurpent? Quòd poſteriorem attinet locũ, dicitur: *Quod Sacerdotes, & Leuitæ nullum de mandatis Regis* (Salomonis) *prætergreſſi ſint.* Hinc nulla exſtruitur ipſorum obligatio, ad ea ſeruanda Rex Galliæ multa ſeruat, vel non prætergreditur mandata regis Hiſpaniarum, quæ ipſe ſuis dat

Regni-

Regnicolis, & contrà. Non tamen alter alteri ideò subiectus, & obedire obligatus. Quia vterque ea præstant & faciunt, vi rationis, honestatis, & probitatis, quæ vnus & alter sibi subditis suis vi legis, potestatis & imperij, præcipiunt.

Perperam verò locus citatur *de mandatis super Sacerdotes & Leuitas*, quanquam nō negauero de aliquibus verè dici posse, de iis nempè, quæ commune bonum, pacē & fælicitatē humanę societatis, totiusq́; politiæ, aliaq́; temporalia spectare possūt. In iis enim & ipse rex leges, mandataq́; Sacerdotibus præscribere potuit, & Sacerdos alijq́; Leuitæ omnibus iis, etiā quoad conscientiā parēre obstricti tenebantur. Quod enim hodie Ecclesiastici (Clerus & peculiū Domini) legibus, & iurisdictione Principū sæculariū omninò soluti sunt, facta est eorundem æqua concessione, ac dimissione, quam ipsis suasit ratio, persuasit pietas. Interim ad quid teneantur & obligētur Prædicantes, homines laici, eiusdem sortis, & conditionis cum suis Superioribus, quorum sunt verbi ministri, patebit infrà.

APPENDIX.

VIdisti, Lector, Synodi Vltraiectinæ sub præsidio, authoritate, & regimine DD. Statuū Prouincię istius, celebratę, de-

creta, canones, & statuta. Quæri posset nūc, an Synodus eiusmodi, vim habeat aliquā, Prædicantes, reliquosque omnes Diæcesis istius subditos, obstringendi, ad præstandā illi ex conscientia, & viribus interioribus, obedientiam. An verò tota illius textrina, & compositio similis sit alicui telæ aranearum, pretij & valoris nullius. Pro huius quæstionis resolutione dicam primò, quid ex Caluino responderi possit: deinde quid sentiam.

Igitur ex sententia Caluini tria hæc in medium afferri possunt. Primò: Totā hanc Synodum, & quoad formam, & quoad materiam, pro verbo Dei nullo modo reputari posse, quia in Bibliis V. & N. Testamenti, siue in Scriptura Prophetarum, & Apostolorum, non exstat. Cal. lib. 4. Instit. c. 8. §. 8. *Esto igitur*, inquit, *hoc firmum axioma: Nō aliud habendum esse verbum Dei, cui detur in Ecclesia locus, quàm quod lege primùm & Prophetis, Deinde scriptis Apostolicis continetur.* Et hanc propositionem DD. Status in vestibulo Synodi huius ipsimet approbant, & calculò suo confirmant. Certum est autē quoad formam & dispositionem illam, editam esse non à Prophetis, aut Apostolis, sed à DD. Statibus, vti ex propriis ipsorum verbis in titulo videre est. Quoad materiā autem, & puncta principalia in eâ compre-

hensa

henſa; facilè eſt idem oſtendere, qualia ſunt: Prædicantes & Eccleſiæ miniſtros inſtrui, vocari, & ordinari, reiici, &c. à Magiſtratu ciuili cap. 1. Sacramentum baptiſmi in vrbibus, non niſi diebus, quibus habetur concio: in oppidulis verò bis in ſeptimana, & in pagis quolibet neceſſitatis caſu, etiam in priuatis ædibus eſſe adminiſtrandũ. Cap. 4. Cænam Domini in vrbibus apud ciues ſaltem quater, in agris verò apud ruſticos, bis in anno celebrandã. cap. 5. Spretis Sanctorum feſtis, certos dies feriandos, cap. 6. Ordinarium, & generale poſt paſcha ſeruandum à populo ieiunium, cap. 7. Hæc inquam & ſimilia, nullo apice, vel littera in S. Scriptura continentur, vnde patet nihil huius Synodi appellari poſſe Dei verbum, licet ipſiſſimum eſſe DD. Status vbique in omnibus eius paginis, lineiſque crepent, ebuccinent, & adiurent.

Secundò Synodicas has conſtitutiones, quas DD. Status *Chriſtianas Eccleſiarum ordinationes* in libelli titulo vocant, ſuiſque Prædicantibus, & populo ad pietatem, & cultum Dei præſcribunt, omnes eſſe & cẽſeri debere impias. Sic clarè docet Caluinus infrà cap. 10. §. 8. *Habemus ergo*, inquit, *impias eſſe omnes conſtitutiones, in quarum obſeruatione cultus Dei ſitus eſſe fingitur.* Hunc ſcabrum in mari Caluiniano ſcopulũ DD.

Status videntur non perſpectum habuiſſe, quando Apoſtolicâ authoritate haſce Eccleſiaſticas concipere ordinationes,& verbi miniſtris piè ſeruandas præſcribere auſi, in Synodi huius prologo ita præfantur.

Cum omnibus Prædicantibus, ſiue Eccleſiæ miniſtris huius Prouinciæ in hunc finem apud nos conuocatis,& Synodaliter congregatis, tandem in nomine Domini, concordibus votis omnium Prædictorum Prædicantum, ſeu Eccleſiæ miniſtrorum, declarauimus, ordinauimus, & ſtatuimus: Declaramus,ordinamus,& ſtatuimus hiſce præſentibus; Quod in poſterum in ciuitate, vrbibus,& Diœceſi Vltraiectina, in adminiſtratione, & gubernatione Chriſtianæ Eccleſiæ & ab eâ pendentium obſeruari, & ſuſtineri debeant Puncta, & articuli hic poſt ſequentes &c

Tertiò. Synodicas haſce DD. Statuum conſtitutiones, etiamſi honeſtas, pias, & obſeruatu in Eccleſiis ſuis perneceſſarias eſſe, demonſtrare poſſent, tamen nullo modo Prædicantum, aliorumq́ue ſubditorũ ſuorum conſcientias obligare. Cal. lib. 4. cap. 10. §. 5. *Atque in hoc*, inquit, *cardine verſatur Pauli diſputatio. Magiſtratus quoniam à Deo ſunt ordinati, honore proſequendos eſſe. Intereà minimè docet, quæ ab illis ſcribuntur leges, ad interiorem animæ gubernationem pertinere.*

Et

Et paulò pòst: *Alterum quoque notatu dignum est (quod tamen ex superioribus pendet) leges humanas, siue à Magistratu, siue ab Ecclesia ferantur, tametsi sunt obseruatu necessaria, de probis & iustis loquor, ideo tamen non ligare per se conscientiã.* Et ibidem infrà: §. 27. Generaliter loquens de omnibus eiusmodi constitutionibus Ecclesiasticis quæ secundum illud Pauli, *vt decenter omnia, & ordine fiant*, cuduntur, ita concludit: *Id tantum semper in istis obseruationibus excipiendum est, ne aut ad salutem credantur necessaria, atque ita conscientias religione obstringant, aut ad Dei cultum conferantur, atq; ita in illis reponatur pietas.*

Hinc valdè timeo, DD. Status habituros parùm morigeros Prædicantes, & subditos, qui totius Synodi istius leges, & decreta flocci non pendant, seseque ab illorum obseruatione prorsus liberos obmurmurent, quantumuis ea obseruatu pernecessaria, quantumuis etiam proba & iusta DD. Status dicant, inclament, prædicent.

Imo verò vt ex iisdẽ Caluini instititutionibus, ac posteà ex secretiore eius Theologia, & familiaribus epistolis, aliquid superioribus addam, sciant DD. Status

ad ſe prorſus non pertinere, Eccleſiaſtica præſcribere Subditis præcepta, ac eiuſmodi condere leges. Id per totum caput 11. lib. 4. Caluinus docet prolixè, & planè vbi §. 1. Oſtendit Eccleſiaſticæ & ciuilis poteſtatis ab inuicem diuerſitatem. *Quemadmodum,* inquit, *nulla vrbs, nullusué pagus ſinè Magiſtratu, & politia ſtare poteſt; ſic Eccleſia Dei ſua quadam ſpirituali politia indiget: quæ tamen à ciuili prorſus diſtincta eſt.* Et ſtatim definit: *Iſta igitur iuriſdictionis poteſtas nihil aliud erit in ſumma, quàm ordo comparatus ad ſpiritualis politiæ conſeruationem.* Et §. 2. Explicat quãti hoc Eccleſiæ iudicium faciendum ſit. *Ne quis ergo contumaciter Eccleſiæ iudicium contemnat, aut parui faciat ſe fidelium ſuffragiis damnatum: Teſtatur Dominus tale fidelium iudicium non aliud eſſe, quàm ſententiæ ſuæ promulgationem, ratumq; haberi in cælis quod illi in terra egerint. Habent enim verbum Dei, quo peruerſos damnent, habent verbum, quo reſipiſcentes in gratiam recipiant. Errare autem non poſſunt, nec à Dei iudicio diſſentire, quia non niſi ex lege Dei iudicant, quæ non incerta eſt, aut terrena opinio, ſed ſancta Dei voluntas, & cæleſte oraculum.* Qui locus dignus eſt, vt benè notetur contra eundem Caluinum, qui* alibi docet vniuerſam Eccleſiam, omnia Concilia, omniaque Eccleſiaſtica Synedria in fidei morumque cenſura poſſe errare, & ſæpè

* lib. 4. c. 8. & 9.

sæpè errauisse. Ac §. 4. Longè adhuc excellentiùs potestatem Ecclesiasticæ iurisdictionis, quod omnibus illa sæculis viguerit, extollit, inque eius fine acriter inuehitur in eos, qui omnia vendicant Magistratui ciuili. *Quare*, inquit, *illi, qui vt Magistratum ornent, Ecclesiam spoliant hac potestate, non modò falsa interpretatione corrumpunt Christi sententiam, sed sanctos omnes Episcopos, qui tam multi à tempore Apostolorum extiterunt, non leuiter damnant, quod honorem, officiumq; Magistratus falso prætextu sibi vsurpauerint.*

Sed despiciamus hanc rem paulò penitiùs ex editis eiusdem Caluini epistolis, in quibus familiariùs aut liberiùs plerumq; loqui solet. In his quoad præsentem materiam, duo præcipuè hæc obseruaui, vnde cætera dependent.

Primò non vult Theologicæ doctrinæ iudicium vllo modo subiacere sæculari potestati, quanquam dignitate eminētissimę: sic enim in vna epistolarum, quam scripsit Geneuæ Anno 1542. d. 23. Aug. ad quendam N. Anonymum: *In ratione agendi*, inquit, *hoc expendere oportet, quale exemplum edituri sint fratres, si doctrinæ iudicem habeant principem, vt quicquid sanxerit, amplectendum protinus sit, atque habendum pro oraculo: Quale, ac quantum sit hoc præiudicium ad posteros? Certè si ita patimur nobis iugum imponi, prodimus*

nostrâ dißimulatione sacrum ministerium. Idem prorsus inculcat epistolâ sequente 3. Id. Septembr. scriptâ: vbi hoc addit: *Nam hoc exemplo posthac necesse erit doctrinam nostram non modò potestati, sed nutui vnius hominis, & quidem imperiti, subiectam esse.* Idem prosequitur argumentum in responsoria epistola ad Myconium, qui litteris suis 10. Februar. Anno, quo suprà, datis, ipsi Caluino, tragicè, & lamentabiliter conquestus fuit de iniquâ Senatus Basiliensis vsurpatione Ecclesiasticæ potestatis, eiusque libertatis diminutione. Huic Caluinus pro consolatione. d. 14. Martij sequentis tunc respondit, se non absimilem Geneuæ sortem expertum in erigendo Ecclesiastico Dicasterio, Senatorum *animos perrumpere* debuisse. *Ne putes,* inquit, *id nos sine maximo sudore fuisse consecutos.* Vbi multis docet, nullo modo potestati sæculari Ecclesiæ regimē incumbere.

Secundò summā vocat ἀταξίαν, rerumq; confusionē, cū pręcipite ruinâ coniunctā, vbi ciuilis Magistratus sibi ius, vel potestatē vsurpat Prædicātes, aliosq; Ecclesiæ ministros vocādi, ad officiū admouendi, vel ab eo remouendi; qua de re integra exstat epistola eius, hoc titulo, seu inscriptione: *Cùm à ministerio quis indictâ causâ abdicatus esset.* Inter cætera: *Non est,* inquit, *quod multū discepte-*

disceptemus, quā illa ἀταξία *propinquā Ecclesiæ ruinam minitetur, vbi res eò redierunt, vt Magistratus ipse absolutè, ac per se Ministros vel abdicet, vel instituat*. Hæc satis.

En breuem Caluini censuram de potestate Magistratus politici seu temporalis in Ecclesiasticis; quàm illius Synodalia decreta, constitutiones, præcepta, leges circa Ecclesiæ ministerium omninò nullæ sint, sed mera ἀταξία, sacrorū cum profanis cōfusio, omnisque ordinis diuini ac humani perturbatio. Tum etiam si morales, si piæ, si decentes pariter ac vtiles in Ecclesia ordinationes prescribantur ab ipsomet presbyterio, vel sacrosynedrio, quàm tamen & ipsæ nullam vim aut robur habeant in subditorum conscientiis, quas, inquit, prorsus non obligant, imò quæ, si ad pietatem pertinere creduntur, impiæ censeri debent, quantumuis probæ, & iustæ, quantumuis obseruatu aliàs perquam necessariæ.

Restat, vt meam de iisdem mentem breuiter aperiam. Certè in hoc benè sentit Caluinus, meram esse ἀταξίαν, si sæcularis Magistratus, quales sunt D D. Status Prouinciæ Vltraiectinæ, sibi Apostolicam vsurpet authoritatem celebrandi Synodos, conuocandi ad eas Prædicantes, præsidendi, & præscribendi eis

leges,& statuta, Ecclesiæ regimen, & ministerium attingentia. Pessimè autem tradit, seu pestis,& rebellionis tuba, leges, & Statuta Magistratus Ecclesiastici in supradictis negotiis, vel officiis diuinis: vel etiam ciuilis in rebus sui fori, h. e. ciuilibus, non obstringere & ligare subditorum conscientias. *Non est enim potestas*, inquit Apostolus, *nisi à Deo. Quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit*. Rom. 13. vbi paulò post: *Ideò*, inquit S. Paulus, *necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam*. Idem nos docet S. Apostolus Petrus, dum præcipit: *Subiecti igitur estote omni humanæ creaturæ, propter Deum*, & addit: *quia sic est voluntas Dei*, cui certè ex conscientia, ex toto corde, & intimis animæ visceribus, parêre obligamur, 1. Pet. 2.

Quarè quicquid DD. Status in ordinariis Curiæ, seu Prætorij sui conuentibus, in publicis comitiis, aliisque diætis constituent, mandabunt, prę scribent ad commune Reipubl. bonum, ad pacem patriæ, ad morum honestatem, imò etiam ad promouendam pietatem, ad defendenda iura, priuilegia, & libertatem Ecclesiæ, ad puniendos transgressores legum diuinarum, & humanarum; tanquam custodes Decalogi, & executores sanctæ iustititæ: in iis omnibus

bus ex conſcientia obtemperare & ſatisfacere ſubditi ſui vniuerſi, & in his non minùs Prædicantes, alijque verbi ſui miniſtri, quam cæteri ruſtici, & ciues, quales demum ipſi poſt præſtitum fidelitatis * iuramentum fiunt, ſtrictim tenentur, & obligantur.

* vide ſupra cap. 1.

Quiſquis igitur eorũ omnium in his contrà deliquerit, tractetur pro meritis, imprimis Prædicantes, aliis in Exemplum.

FIAT, FIAT.

FINIS.

INDEX.

creta, canones, & statuta. Quæri posset nũc, an Synodus eiusmodi, vim habeat aliquã, Prædicantes, reliquosque omnes Diæcesis istius subditos, obstringendi, ad præstandã illi ex conscientia, & viribus interioribus, obedientiam. An verò tota illius textrina, & compositio similis sit alicui telæ aranearum, pretij & valoris nullius. Pro huius quæstionis resolutione dicam primò, quid ex Caluino responderi possit: deinde quid sentiam.

Igitur ex sententia Caluini tria hæc in medium afferri possunt. Primò: Totã hanc Synodum, & quoad formam, & quoad materiam, pro verbo Dei nullo modo reputari posse, quia in Bibliis V. & N. Testamenti, siue in Scriptura Prophetarum, & Apostolorum, non exstat. Cal. lib. 4. Instit. c. 8. §. 8. *Esto igitur*, inquit, *hoc firmum axioma: Nõ aliud habendum esse verbum Dei, cui detur in Ecclesia locus, quàm quod lege primùm & Prophetis, Deinde scriptis Apostolicis continetur.* Et hanc propositionem DD. Status in vestibulo Synodi huius ipsimet approbant, & calculo suo confirmant. Certum est autẽ quoad formam & dispositionem illam, editam esse non à Prophetis, aut Apostolis, sed à DD. Statibus, vti ex propriis ipsorum verbis in titulo videre est. Quoad materiã autem, & puncta principalia in eâ comprehensa

hensa; facilè est idem ostendere, qualia sunt: Prædicantes & Ecclesiæ ministros instrui, vocari, & ordinari, reiici, &c. à Magistratu ciuili cap. 1. Sacramentum baptismi in vrbibus, non nisi diebus, quibus habetur concio: in oppidulis verò bis in septimana, & in pagis quolibet necessitatis casu, etiam in priuatis ædibus esse administrandū. Cap. 4. Cænam Domini in vrbibus apud ciues saltem quater, in agris verò apud rusticos, bis in anno celebrandā. cap. 5. Spretis Sanctorum festis, certos dies feriandos; cap. 6. Ordinarium, & generale post pascha seruandum à populo ieiunium, cap. 7. Hæc inquam & similia, nullo apice, vel littera in S. Scriptura continentur, vnde patet nihil huius Synodi appellari posse Dei verbum, licet ipsissimum esse DD. Status vbique in omnibus eius paginis, lineisque crepent, ebuccinent, & adiurent.

Secundò Synodicas has constitutiones, quas DD. Status *Christianas Ecclesiarum ordinationes* in libelli titulo vocant, suisque Prædicantibus, & populo ad pietatem, & cultum Dei præscribunt, omnes esse & cēseri debere impias. Sic clarè docet Caluinus infrà cap. 10. §. 8. *Habemus ergo*, inquit, *impias esse omnes constitutiones, in quarum obseruatione cultus Dei situs esse fingitur.* Hunc scabrum in mari Caluiniano scopulū DD.

Status videntur non perſpectum habuiſſe, quando Apoſtolicâ authoritate haſce Eccleſiaſticas concipere ordinationes,& verbi miniſtris piè ſeruandas præſcribere auſi, in Synodi huius prologo ita præfantur.

Cum omnibus Prædicantibus, ſiue Eccleſiæ miniſtris huius Prouinciæ in hunc finem apud nos conuocatis, & Synodaliter congregatis, tandem in nomine Domini, concordibus votis omnium Prædictorum Prædicantum, ſeu Eccleſiæ miniſtrorum, declarauimus, ordinauimus, & ſtatuimus: Declaramus, ordinamus, & ſtatuimus hiſce præſentibus; Quod in poſterum in ciuitate, vrbibus, & Diæceſi Vltraiectina, in adminiſtratione, & gubernatione Chriſtianæ Eccleſiæ & ab eâ pendentium obſeruari, & ſuſtineri debeant Puncta, & articuli hic pòſt ſequentes &c

Tertiò. Synodicas haſce DD. Statuum conſtitutiones, etiamſi honeſtas, pias, & obſeruatu in Eccleſiis ſuis perneceſſarias eſſe, demonſtrare poſſent, tamen nullo modo Prædicantum, aliorumque ſubditorũ ſuorum conſcientias obligare. Cal. lib. 4. cap. 10. §. 5. *Atque in hoc*, inquit, *cardine verſatur Pauli diſputatio. Magiſtratus quoniam à Deo ſunt ordinati, honore proſequendos eſſe. Intereà minimè docet, quæ ab illis ſcribuntur leges, ad interiorem animæ gubernationem pertinere.*

Et

Et paulò pòst: *Alterum quoque notatu dignum est (quod tamen ex superioribus pendet) leges humanas, siue à Magistratu, siue ab Ecclesia ferantur, tametsi sunt obseruatu necessaria, de probis & iustis loquor, ideo tamen non ligare per se conscientiã.* Et ibidem infrà: §. 27. Generaliter loquens de omnibus eiusmodi constitutionibus Ecclesiasticis quæ secundum illud Pauli, *vt decenter omnia, & ordine fiant*, cuduntur, ita concludit: *Id tantum semper in istis obseruationibus excipiendum est, ne aut ad salutem credantur necessaria, atque ita conscientias religione obstringant, aut ad Dei cultum conferantur, atq; ita in illis reponatur pietas.*

Hinc valdè timeo, DD. Status habituros parùm morigeros Prædicantes, & subditos, qui totius Synodi istius leges, & decreta flocci non pendant, seseque ab illorum obseruatione prorsus liberos obmurmurent, quantumuis ea obseruatu pernecessaria, quantumuis etiam proba & iusta DD. Status dicant, inclament, prædicent.

Imo verò vt ex iisdẽ Caluini instititutionibus, ac posteà ex secretiore eius Theologia, & familiaribus epistolis, aliquid superioribus addam, sciant DD. Status

ad se prorsus non pertinere, Ecclesiastica præscribere Subditis præcepta, ac eiusmodi condere leges. Id per totum caput 11. lib. 4. Caluinus docet prolixè, & planè vbi §. 1. Ostendit Ecclesiasticæ & ciuilis potestatis ab inuicem diuersitatem. *Quemadmodum*, inquit, *nulla vrbs, nullusué pagus sine Magistratu, & politia stare potest ; sic Ecclesia Dei sua quadam spirituali politia indiget: quæ tamen à ciuili prorsus distincta est.* Et statim definit: *Ista igitur iurisdictionis potestas nihil aliud erit in summa, quàm ordo comparatus ad spiritualis politiæ conseruationem.* Et §. 2. Explicat quãti hoc Ecclesiæ iudicium faciendum sit. *Ne quis ergo contumaciter Ecclesiæ iudicium contemnat, aut parui faciat se fidelium suffragiis damnatum: Testatur Dominus tale fidelium iudicium non aliud esse, quàm sententiæ suæ promulgationem, ratumq; haberi in cælis quod illi in terra egerint. Habent enim verbum Dei, quo peruersos damnent, habent verbum, quo resipiscentes in gratiam recipiant. Errare autem non possunt, nec à Dei iudicio dissentire, quia non nisi ex lege Dei iudicant, quæ non incerta est, aut terrena opinio, sed sancta Dei voluntas, & cæleste oraculum.* Qui locus dignus est, vt benè notetur contra eundem Caluinum, qui * alibi docet vniuersam Ecclesiam, omnia Concilia, omniaque Ecclesiastica Synedria in fidei morumque censura posse errare, & sæpè

* lib. 4. c. 8. & 9.

sæpè errauisse. Ac §. 4. Longè adhuc excellentiùs potestatem Ecclesiasticæ iurisdictionis, quod omnibus illa sæculis viguerit, extollit, inque eius fine acriter inuehitur in eos, qui omnia vendicant Magistratui ciuili. *Quare*, inquit, *illi, qui vt Magistratum ornent, Ecclesiam spoliant hac potestate, non modò falsa interpretatione corrumpunt Christi sententiam, sed sanctos omnes Episcopos, qui tam multi à tempore Apostolorum extiterunt, non leuiter damnant, quod honorem, officiumq; Magistratus falso prætextu sibi vsurpauerint.*

Sed despiciamus hanc rem paulò penitiùs ex editis eiusdem Caluini epistolis, in quibus familiariùs aut liberiùs plerumq; loqui solet. In his quoad præsentem materiam, duo præcipuè hæc obseruaui, vnde cætera dependent.

Primò non vult Theologicæ doctrinæ iudicium vllo modo subiacere sæculari potestati, quanquam dignitate eminētissimę: sic enim in vna epistolarum, quam scripsit Geneuæ Anno 1542. d. 23. Aug. ad quendam N. Anonymum: *In ratione agendi*, inquit, *hoc expendere oportet, quale exemplum dituri sint fratres, si doctrinæ iudicem habeant principem, vt quicquid sanxerit, amplectendum protinus sit, atque habendum pro oraculo: Quale, ac quantum sit hoc præiudicium ad posteros? Certè si ita patimur nobis iugum imponi, prodimus*

nostrâ dissimulatione sacrum ministerium. Idem prorsus inculcat epistolâ sequente 3. Id. Septembr. scriptâ: vbi hoc addit: *Nam hoc exemplo posthac necesse erit doctrinam nostram non modò potestati, sed nutui vnius hominis, & quidem imperiti, subiectam esse.* Idem prosequitur argumentum in responsoria epistola ad Myconium, qui litteris suis 10. Februar. Anno, quo suprà, datis, ipsi Caluino, tragicè, & lamentabiliter conquestus fuit de iniquâ Senatus Basiliensis vsurpatione Ecclesiasticæ potestatis, eiusque libertatis diminutione. Huic Caluinus pro consolatione. d. 14. Martij sequentis tunc respondit, se non absimilem Geneuæ sortem expertum in erigendo Ecclesiastico Dicasterio, Senatorum *animos perrumpere* debuisse. *Ne putes*, inquit, *id nos sine maximo sudore fuisse consecutos.* Vbi multis docet, nullo modo potestati sæculari Ecclesiæ regimẽ incumbere.

Secundò summã vocat ἀταξίαν, rerumq; confusionẽ, cũ pręcipite ruinâ coniunctã, vbi ciuilis Magistratus sibi ius, vel potestatẽ vsurpat Prædicãtes, aliosq; Ecclesiæ ministros vocãdi, ad officiũ admouendi, vel ab eo remouendi; qua de re integra exstat epistola eius, hoc titulo, seu inscriptione: *Cùm à ministerio quis indictâ causâ abdicatus esset.* Inter cætera: *Non est*, inquit, *quod multũ discepte-*

disceptemus, quā illa ἀταξία *propinquā Ecclesiæ ruinam minitetur, vbi res eò redierunt, vt Magistratus ipse absolutè, ac per se Ministros vel abdicet, vel instituat.* Hæc satis.

En breuem Caluini censuram de potestate Magistratus politici seu temporalis in Ecclesiasticis; quàm illius Synodalia decreta, constitutiones, præcepta, leges circa Ecclesiæ ministerium omninò nullæ sint, sed mera ἀταξία, sacrorū cum profanis cōfusio, omnisque ordinis diuini ac humani perturbatio. Tum etiam si morales, si piæ, si decentes pariter ac vtiles in Ecclesia ordinationes pręscribantur ab ipsomet presbyterio, vel sacrosynedrio, quàm tamen & ipsæ nullam vim aut robur habeant in subditorum conscientiis, quas, inquit, prorsus non obligant, imò quæ, si ad pietatem pertinere creduntur, impiæ censeri debent, quantumuis probæ, & iustæ, quantumuis obseruatu aliàs perquam necessariæ.

Restat, vt meam de iisdem mentem breuiter aperiam. Certè in hoc benè sentit Caluinus, meram esse ἀταξίαν, si sæcularis Magistratus, quales sunt D D. Status Prouinciæ Vltraiectinæ, sibi Apostolicam vsurpet authoritatem celebrandi Synodos, conuocandi ad eas Prædicantes, præsidendi, & præscribendi eis leges,

bus ex conſcientia obtemperare & ſatisfacere ſubditi ſui vniuerſi, & in his non minùs Prædicantes, alijque verbi ſui miniſtri, quam cæteri ruſtici, & ciues, quales demum ipſi poſt præſtitum fidelitatis * iuramentum fiunt, ſtrictim tenentur, & obligantur.

* *vide ſupra cap. 1.*

Quiſquis igitur eorũ omnium in his contrà deliquerit, tractetur pro meritis, imprimis Prædicantes, aliis in Exemplum.

FIAT, FIAT.

FINIS.

INDEX.

INDEX CAPITALIVM PVNCTORVM HAC ECCLESIASTICA ORDINATIONE COMPRÆHENSORVM, qui in fine Synodici libelli fuit adiectus.

Errata, si placet, hæc corrige.

PAG 19. lin. 21. præsentabunt. ibid. lin. 22. in p. 35. l. 5. Assyriis. p. 40. l. 16. monebuntur. p 44 l. 1. naturâ. p. 51. l 11. Prophetiæ. p 57. l. 1. esset. p. 58. l 9. Diæcesi. p. 67. l. 26. Heidelbergæ p 68 l. 6. necessariò, p 100. l. 5. reputentur, p. 101. l. 16. carere. p. 112, l. 27. causarum.

Notæ

APPROBATIO.

NOtæ, quas R.D.Cudſemius Vltraiectinæ Synodo interſperſit, cùm nihil contineant vel ſanæ doctrinæ contrarium, vel morum honeſtati, & magni eas viri, inter quos R. P.Becanus Theologus Moguntinus, luce, commendationeq́; dignas cẽſuerint; ad inſtructionem aliorum, licitè excudi poterunt. Datum Colon. 20. Febr. 1614.

Henr. Francken Sierſtorpffius S S. Theol. D. Gymn. Laurent. Regens, librorum cenſor.